DE GRATIA DELINQVENTIBVS FACIENDA ET VARIIS POENÆ REMITTENDÆ VEL MITIGANDÆ CAUSIS

DISSERTATIO:

QVAM

FAVENTE SUMMI NUMINIS GRATIA

SUB PRAESIDIO

VIRI AMPLISSIMI

DN. ENOCH GLÆSERI I.V.D.

INSTITT. IMPERR. ET JVRIS CRIMIN. IN ILLVSTRI JVLIA PROFESSORIS ORDIN.

FAUTORIS SUI SUMMA ÆTATEM OBSERVANTIA COLENDI

Publicæ diſquiſitioni ſubjiciet

GEORGIUS CHRISTOPHORUS à PAEEEL,

AUCTOR.

DISPVTABITVR IN NOVO IVLEO

d. IX. & d. XIII. FEBRUARI.

HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMULLERI

Anno cIↄ Iↄ c LXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LECTORI CANDIDO
S.

UT multa de argumenti hujus præſtantia præfarer, haud opus fore putavi, Lector amice. Ipſius, ni fallor, Gratiæ nativa dignitas, & vel ſuaviſſimum tantum nomen, ad commendationem ſui ſufficit. Apud plurimos enim politicorum hactenus in confeſſo fuit, nihil ferè ad ſtabiliendum Regna, imò & cœteras Reſpublicas, æquè facere, atque hanc ipſam clementiam. Diverſum videtur Jacobo I. Angliæ Regi *In Regia Inſtitutione ad Henricum Filium lib. 2.* ubi ita ſcribit: *Atq; hâc in parte Phrix tibi ego ſim, qui & nimis ſerò, & nimis magno pretio ſapere videar. Nam cum lenioribus principiis omnia prætexere in animo haberem, ut facilitate & clementia omnium animos ad obedientiam pellicerem, contrarium mihi prorſus uſu venit, & nullum aliud, quàm populum ingratum, Imperium diſſolu: lenitatis meæ præmium reportavi.* Sed cui ex poſitis hic ... fectibus non apparet, de intempeſtiva atque nimia clementia verba hæc accipienda eſſe, quam etiam fugiendam ipſi ſæpius in hâc diſſertatione noſtra adſtruximus? Quod ſi verò de qualibet Gratia idem pronunciare quis non dubitet, oppono illi *Senecam*, aſſertorem divinæ hujus virtutis fortiſſimum ac ſapientiſſimum. *Non minus*, ait hic, *Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quàm medico multa funera. Remiſſius imperanti melius paretur. Natura contumax eſt humanus animus; & in contrarium atq; arduum nitens; ſequitur q; facilius quàm ducitur. Et ut generoſi atq; nobiles equi melius facili fræno reguntur: ita Clementiam voluntaria innocentia impetu ſuo ſequitur, & dignam putat civitas, quam ſervet ſibi. Plus itaq; hac via proficitur.* Cœterum candidi Lectoris dijudicationi relinquimus, quid in tractatione hac à nobis præſtitum ſit. Non enim aut ſi pauca benè diximus

multam laudem; aut ſi quædam malè vel poſuimus vel omiſimus, magnum vituperium ætas & ingenii noſtri tenuitas merebuntur. Exercitii cauſa hoc quicquid eſt inſtitutum fuit, in quo quilibet ſua quadam libertate gaudet; non certè ut ambitiosè multum nos evehamus, ut à quo animus ſemper procul abfuit. Si cui tamen opera noſtra placuerit, is ætatem nos ſibi devinciet. Eos verò, qui traducendi ac calumniandi libidine huc accedunt, nil quicquam curamus: ſanè enim cuivis ſcurræ multa cavillari quam imitari paratius eſt Vale, Lector, & impoſterum amore tuo nos dignari ne deſine. Si etiam placet fac, quæſo, ut ſequentia

ERRATA ſic corrigantur.

Art.6 lin 10. poſt *inquit* add. *tuti*. art.17. lin. 8. pro *πάντις* leg. *πάντες*, Art 21, lin. 14. pro *ac* l. *ad*. lin. 18 pro *exterte. ri* l. *exterreri*. Art. 31. lin. 7. pro *ſatiat* l. *faciat*. Art. 32. lin. 31. poſt (g) add.) Art 35. lin. 5. pro *deatum* l. *delatum* Art. 36 lin. 33. pro *deleta* l. *delata*. Art. 38. lin. 16. pro *eum* l. *cum*. Art. 40. lin. 5 poſt *habeant*, inſere *hinc*. Art. 57. lin. 18. pro *habent* l. *habeat*. Art. 67. lin. 32. pro *Sapater* l. *Sopater*. lin. 41. pro *pœnā* l. *pœna*. Art. 75. lin. 27. pro *nec*. l. *nec*. Art. 81. lin. 23 pro *ſperaret* l. *ſperarāt*. Membr. 5. in Conſpect. n 85. lin. 3. pro *alius* l. *alias*. Cauſ. 1. lin. 95. pro *quidem* l. *Equidem*. Cauſ. 3. poſt (d) add.) Cauſ. 4. lin. 30. pro *affuctio* l. *afflictio*. lin. 109. pro *petraverit*. l. *patraverit*. Cauſ. 6. lin. 44. pro *delinquntibus* l. *delinquentibus*. Cauſ. 7. lin. 32. pro *dorminentes* l. *dormientes*. lin. 59. pro *pevigit* l. *pervigil*. Cauſ. 14. in marg. lit a. lin 4. poſt *ubi* add. *magno*. Cauſ. ead. lin 123. pro *Dicendum ergo eſt* l. *dicendum eſt*, Cauſ. 19. lin. 138. pro *iubet* l. *jubent*. Cauſ. 22. lin. 19. pro *Badlus* l. *Baldus*. Cauſ. 24 lin. 23. pro *vetlmus* l. *velimus*. Cauſ. 29. lin. ult. pro *teriſſimi* l. *tutiſſimè* Cauſ. 32. lin. 30. pro *patti* l. *parti*. Cauſ. 33. lin. 34. pro *totos* l. *totus* Art 90. lin. 10. pro *ſub* l. *ſum*. Art. ult. Opp. 4. lin. 4. pro *ipſum*. l. *ipſi*.

Nobiliſsimo Iuveni

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO à PASSEL EQ. SIL.

doctiſſimæ hujus DISSERTATIONIS

AUTORI

FELICITER!

GRatia Principibus dubio ſine, propria, nec quid
Ipſorum hoc majus nomine Numen habet.
Pendet ab hoc omnis Fortunæ Gratia centro
Utque homo ſit gratus Gratia ſola facit.
Adde, quod unum iſtud peccanti præſtet aſylum
Nec melior trepidis ſit Panacéa reis.
Felices igitur, quos hoc ſub ſole Salutis
Anchora in ancipiti ſuſtinet æqua ſalo.
Te verò, PASSELIADUM prænobile germen,
Nonnè perenniſluo Gratia rore beet?
Quanta etenim querulo monſtras ſolatia civi,
Quàm patulas miſeris ſupplicibuſque fores?
Fallor? an ipſa Tuo reſpirat Gratia ductu
Dum, quid cor moveat Principis, omne doces?
Macte his, & ſceleris purus potiora capeſſe
Præmia. *Virtuti Gratia ſpontè favet.*

amoris ſingularis teſtandi cauſa
acclam.

ENOCH GLÆSER Sil.
J. U. D. & Prof. Ord.

DEUS

DEUS
RERUM MODERATOR COEPTA PROSPERET!

* * *

MEMBRUM I.
EXPLICATUR, QUÆNAM SIT ORIGO ET FUNDAMENTUM GRATIÆ, DE QUA HIC TRACTABITUR.

CONSPECTUS.

1. *Hominem non eſſe naturâ animal civile.*
2. *Societates, quæ ſpontè contrahuntur, ab hominibus vel commodi vel gloriæ cauſa contrahi.*
3. *Gloriæ tamen vel commodi gratia ſocietates amplas non conſtitui.*
4. *Originem magnarum ſocietatum à mutuo hominum metu exiſtere.*
5. *Metum hunc in ſtatu natura provenire à naturali mortalium æqualitate & mutua lædendi voluntate.*
6. *Hominem indè extra ſocietatem nec ſalvum eſſe, nec benè vivere poſſe.*
7. *Societates tamen ſimplices neminem poſſe tutum præſtare.*
8. *Nec eas iam priſcis temporibus ſuffeciſſe. rejiciuntur ſimul fabulæ aſſerentiũ, primos homines fuiſſe optimos.*

9. *Cumprimis autē hodiè ampliores ſocietates requiri.*

10. *Vt vero congregata multitudo non modo ab externis ſed & internis malis tuta præſtetur, pœnarum inſuper conſtitutionem requiri.*

11. *Solam enim educationem probos omnes efficere non poſſe.*

12. *Pœnas debere à ſuperioribus ſeu imperantibus infligi: ac proindè hos conſtituendos.*

13. *Non eſſe iniquum, unum vel paucos tenere imperium in totam multitudinem.*

14. *Spectare etiam hodiè pœnarum inflictionem ad Maieſtatem Civilem.*

15. *Iuxta Grotium manere in quibuſdam locis cuiq; naturalem libertatem pœnas ſumendi de aliis. Id tamen Chriſtiano non ſatis eſſe tutum.*

16. *Præter Pœnas etiam Præmia ad Civitatis conſervationem facere: minus tamen quam pœnas.*

17. *Pœnas eſſe iuſtiſſimas.*

18. *Licere Maieſtati pœnas augere: & hinc pœnam hodiernam ſuſpendii in furto non iniuſtam eſſe.*

19. *Poſſe aliquando pœnas etiam capitales infligi.*

20. *Pœnas capitales non repugnare Iuri naturali, Divino & Civili.*

21. *Ere eſſe, ut pœnæ certæ legibus definiantur.*

22. *Nec alia, quàm definitæ infligantur.*

23. *Licere aliquando crimen condonare, diſputatur ex occaſione adverſus Stoicos id negantes.*

24. *Poſſe id fieri ante legem pœnalem, ſcil. quando fines pœnæ ceſſant.*

25. *Item poſt illam.*

26. *Concluſio & Tranſitio.*

ARTICVLVS I.

3. Metaphyſ. c. 1.

REctè dubitare velut initium ſapientiæ eſt, inquit Philoſophus. Speramus indè & nobis veniam datum iri, ſi nonnulla contra receptam quidem ubivis ferè, ſed tamen

men minùs certam, ut videtur, ſententiam in medium protulerimus. Maxima pars eorum, qui de rebus civilibus aliquid contexuêre, hoc fundamento ſuperædificat doctrinam ſuam: Hominem naturâ eſſe animal civile, hoc eſt, per naturalem quendam amorem, quo ad hominem fertur, eum ad civilem ſocietatem ferri. Hoc ita firmiter tenent, ut per naturam rem ſe aliter habere non poſſe credant. Evincere id etiam conantur Ariſtotelis auctoritate, *libr. 1. Pol. c. 2.* & probare à repugnantibus. Dicunt: hominem, qui ingenio ſuo & naturâ, nulla fortunæ vi, eſt ἄπολις, vel eſſe improbum & ferocem, vel homine meliorem, & veluti Deum quendam terreſtrem. Utrum autem per hæc, quod debet, clarum fiat, de hoc verò non immeritò quis dubitet. Quid enim ſi quis contrarium dictæ hypotheſeos tueretur? dari ſcilicet multos, qui per naturam ſuam & non propter caſum, (διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην Ariſtoteli:) ſunt ἀπόλιδες, & ſic animalia non civilia, cùm tamen ſint homines. Certè præter Eremitas Cacum Antæum, Timonem, alios, ipſimet tales fuiſſe perhibent. Neque verò improbitas aut ferocia ejuſmodi ſolitariorum, uti nec inſignis excellentia de ipſis definitionem hominis negat. Virtutes ſunt aut vitia, quæ mores mutant, ſubſtantiam cujuſque nil quicquam intervertunt. Sed & licuit quovis ævo reperire, qui cùm à civili aliorum conſortio ſeparati vixerint, â cæteris tamen quâ mores parum aut nihil diſcrepaverint. Apparet ergo, poſitionem illam, dicto ſenſu acceptam, non uſque veram eſſe: errorem autem â leviori forſan humanæ naturæ contemplatione profectũ. Alias rationes quære apud *Magnific. Dn. Conringium, Præceptorem noſtrum ſumma obſervantia colendum, libr. de Civili Prudentia cap. 6. pag. 81. ſeqq.*

Mich. Piccart. Comm. in Ariſt. Polit. l. 1. c. 2.

II. Certius quippiam illi reperiſſe videntur, qui congregationis illius ſpontaneæ cauſam in utilitate vel gloria

 ponunt.

ponunt. Rem enim penitius inſpectantibus facilè conſtabit, non ab amore illo innato homines ad ſocietatem trahi, neque ideò etiam id fieri, quod aliter fieri naturâ non poſſit, ſed ex accidenti. Planum hoc facit *Thomas Hobbes*: nam *ſi homo hominem*, inquit, *amaret naturaliter, id eſt, ut hominem, nulla ratio reddi poſſet, quare unusquiſque unumquemq; non æquè amaret, ut æquè hominem, aut cur eos frequentaret potius, in quorum ſocietate ipſi potius quàm aliis defertur honor & utilitas. Non ſocios igitur, ſed ab illis honore vel commodo affici naturâ quærimus; hac primariò, illos ſecundariò appetimus. Quo autem conſilio homines congregentur, ex iis cognoſcitur, quæ faciunt congregati. Si coëant enim commercii cauſa, unuſquiſq; non ſocium, ſed rem ſuam colit. Si officii cauſa, naſcitur forenſis quædam amicitia, plus habens mutui metûs quàm amoris; unde factio aliquando naſcitur, ſed benevolentia nunquam. Si animi & hilaritatis cauſa, ſolet maximè perplacere ſibi unuſquiſque iis rebus, quæ riſum excitant, unde poſſit, (prout eſt naturæ ridiculi) comparatione turpitudinis vel infirmitatis alienæ ipſe ſibimet commendatior evadere.* &c. vid. ſeqq. Sanè res non aliter ſe habet. Qui ingenium humanum attentiùs conſiderant, non poſſunt non deprehendere, uti dictum, congreſſus omnes qui ſpontanei ſunt, vel mutuâ conciliari egeſtate, vel captandâ gloriâ. Duo hæc movent congredientes, ac pro fine habentur, dum horum ſemper alterum, commodum nempe, vel illud εὐδοκιμεῖν, exiſtimationem (vel virtutis vel qualitatis alterius) apud ſocios, referre ſtudent. Mortalibus quippe hoc ingenitum eſt, ut teſtimonia bonarum operationum ab aliis requirant, ut voluptate afficiantur, ſi aliorum judicium præclaram actionem dictitet. Ex naturâ voluntatis quoque non difficile illud collectu erit. Nempe ſi ſocietas aliqua voluntariò contrahitur, ejus etiam obje-

ctum

Elemēt. Philoſoph. de Civ. ca1. art. 2.

Excell. Dn. Ioh. à Felde Elemēt. Jur. Part 3. libr. 6. cap. 1. membr. 4. part. 2.

ctum aliquod ſive finem ſtatuamus neceſſe eſt, hoc eſt, illud, quod quemque ad ineundam ſocietatem quaſi ſtimulat, quia ipſi bonum videtur. Nam & Ariſtoteles dicit, omnem actionem ac agendi conſilium bonum aliquod appetere: & aliàs docemur, voluntatem præparari â Phantaſia, quæ imaginem futuri boni exhibens appetitum movet. Hoc verò omne, quod bonum videtur, juxta laudatum modò Anglum, jucundum eſt, & vel ad organa pertinet, vel ad animum. Animi rurſum voluptas vel gloria eſt, (ſive benè ſentire de ſeipſo:) vel ad gloriam ultimò refertur. Sub quô & Honeſtum comprehendi poteſt, ut quod ſuâ naturâ eſt laudabile & glorioſum, atque adeò omnis virtus, quoniam hujus præſentia ſive habitus & animum voluptate afficit, & gloriam parit. Cœtera, dicit ille, ſenſualia ſunt, vel ad ſenſuale conducentia; quæ omnia Commodorum nomine comprehendi poſſunt. Quod ſi ergo nihil relinquitur quod appetitum noſtrum principaliter moveat, præter duo iſthæc, Commodum nempe vel Gloriam, manifeſtum indè, nî fallor, fit, ſocietates quoque, quæ ſponte contrahuntur, mortales propter illa tantùm, & ſic ſui non ſociorum amore contrahere. Qui enim φιλάνθρωποι reperiuntur, illi, quod ab educatione & adſuefactione, non natura tales effecti ſint, facilè raritate ſua comprobant. Et tamen adhuc, quod iſti ſolo hominum amore compulſi, nulloque proprii commodi vel gloriæ habito reſpectu, ſocietates cum āliis ineant, non ſine magnâ imprudentia quis crediderit.

In princ. libror. ad Nicomach.

Cic. libr. 1. Offic. cap. m. 5.

III. Enimverò quamvis hæc ita ſe habeant, nihilominus ob conſequendam gloriam nulla neque multorum hominum, neque multi etiam temporis (qualis tamen videtur eſſe civitas) conſtitui ſocietas poteſt. Nam quæ inter homines frequentiſſima eſſe ſolet æmulatio aut invidia quoque, facilè apta eſſet illam diſſolvere. Unde verè Etheocles

Alſted. ocles Lacedæmonius, Spartam non poſſe ferre duos Lyſan-
Encycl. dros; & Archeſtratus Athenienſis, duos Alcibiades Athe-
libr. 16. nis tolerari non poſſe; imò Alexander M. ne Mundum
c. 20. quidem duos Soles capere, dixerunt. Deindè nec omnes poſſe gloriam obtinere certum eſt: quippe cujus vis tota ac dignitas in præcellentia & comparatione tenuitatis vel humilitatis alterius fundata eſt. Si ergo communis fiat, ruit ejus excelſitas, neque ſi omnibus adſit, ulli adeſſe credenda eſt. Adhæc ut quis jure glorietur ſeu ſe digniorem ſentiat, non putare debet, cauſam ex aliorum ſodalitio in ſe derivari. Præſtantia enim cujuſque intra ipſum contenta eſt, & nihil adjumenti ad hanc ex aliorum ſocietate accedit; cùm tanti quilibet cenſendus ſit, quantum ſine ope aliorum ipſe poteſt. Atque ſic patet, ſtudio gloriæ ad ſocietates ampliores fruſtra acceſſuros homines. De utilitatibus verò tenendum eſt, inſigniter hujus vitæ commoda quidem mutua ope augeri poſſe, ac quod hodiè inter nos elegantiæ ornatusve conſpicitur, non aliundè quam à conſortio humano pro-
libr. 2. fluxiſſe. Undè etiam Tullius oſtendit, qui fructus, quæque
de off. utilitates ex rebus omnibus, ſive animatæ ſint ſive inanima-
cap. m. 4. tæ, percipiuntur, eas nullo modo ſine hominum manu at-
Hobbes que opera nos capere potuiſſe. Attamen cum emolumen-
d. loc. tum longè majus à dominio quàm ſocietate aliorum redundet, nemini dubium eſſe debet, quin avidiùs ferrentur homines naturâ ſua, ſi metus abeſſet, ad dominationem, quàm ad ſocietatem.

IV. Ergò aliud quid erit, quod homines ad ineundas ſocietates magnas ſeu civiles compellat; idque metus
Id. cap. 5. eſſe putatur. Oſtendimus autem hoc modo. Conſtat actio-
art. 1. nes hominum à voluntate, voluntatem à ſpe & metu proficiſci. Quoties igitur homines *bonum maius* vel *malum minus* à violatione legum ſibi proventurum vident, quàm ab obſer-

obſervatione (quod in ſtatu naturæ meræ facilè fit,) volentes violant. Plerique enim præ iniquo præſentis commodi appetitu naturales leges, quantumvis cognitas, obſervare parum apti ſunt Paucos reperias, qui cœteris modeſtiores illam æquitatem commoditatemque, quam ratio dictat, exerceant. Inde ſtatim injuria naſcitur, ac bellum ferè continuum. Et certum quidem eſt, quamdiu cautio ab invaſione aliorum non habetur, cavendi ſibi quibuſcunque modis voluerit atque potuerit, unicuique manere jus primævum. Ad impletionem namq; legis naturalis ſufficit, ut quis paratus animo ſit ad pacem habendam, ubi haberi poteſt. Sed tamen cum cuilibet periculum impendeat, ne ab hoſte vel viribus, vel arte, vel aſſumto etiam aliorum auxilio ſuperetur, ſequitur quòd, alio non præſente remedio, in perpetuo metu ne obruantur ſingulis degendum ſit. Hic jam metus mortales adegit, ut in ſocietatem venirent, communibusque auxiliis ſe defenderent. Statuamus igitur oportet, originem magnarum & diuturnarum ſocietatum non à mutua hominum benivolentia, ſed á mutuo metu exſtitiſſe. *Id. c. 1. art. 2. in fin.*

V. Cauſa autem quæ metum talem mortalibus incutit, partim in naturali eorum æqualitate, partim in mutua lædendi voluntate conſiſtit. Indè fluit, quod propter parem infirmitatem nullam veram fiduciam in nobismetipſis ponere queamus. Sed nec ab alio ſecuritatem talem expectare poſſumus, cum quod propter æqualitatem ſuperior hoſte non putandus ſit; tum etiam quod, ſi modo prudenter agere velimus, ſemper nobis de voluntate ejus certis eſſe non liceat. In ſpecie verò de æqualitate res non eſt obſcura, cùm experientia teſtetur, quam non difficile ſit infirmiſſimo cuique robuſtiorem occidere, ut ſtolidus non immeritò cenſeatur ſi quis viribus fidens naturam ſupra aliorum conditionem ſe hâc parte poſuiſſe opinetur. Si quid *Id. cap. 1. art. 3. & ſeqq.*

forte

forte præſidii ab una parte robur addit, ab altera illud inſidiis & aſtu vel auxilio alieno infringi poteſt. Voluntas autem lædendi hinc oritur, quod falsò quidam ſuperiores ſe aliis exiſtiment, omnia ſibi ſolis licere putent, atque præ cæteris honorem arrogent. Unde talibus lædendi voluntas eſt ab inani gloria & falſa virium æſtimatione; modeſtis autem & vires ſuas rectè æſtimantibus ex neceſſitate res & libertatem contra tales defendendi. Porrò quoque in vulgus notum eſt, tot eſſe ſenſus, quot capita: inde maximas omnino diſcordias ex maxima hâc ingeniorum diverſitate & certamine oriri neceſſe eſt. Nam non modò actibus alterius repugnare diſſidium excitat, verùm hoc ipſum quoque non conſentire odioſum habetur, dum alter ſe tacite per hoc erroris argui ſtatuit. Frequentiſſima verò mutuæ læſionis cauſa inde provenit, quod multi ſimul eandem rem appetant, qui appetitus & per hunc contentio ex eo magis adhuc accenditur, quod in ſtatu naturæ omnes jus in omnia habeant. Unde dum quilibet æquale ſibi jus competere novit, quilibet de jure ſuo nullatenus vult deſiſtere. Ac licet ſæpiſſimè eâdem re neque frui communiter, neque etiam dividere poſſint, tenere tamen eandem omnes volunt, cùm quantum quiſque alteri accedere videt, tantum ſibi decedere ſentiat. Ex hoc ſequitur, ut quia deciſio alia non proſtat, res ſit fortiori danda: quis autem fortior ſit, pugna judicandum eſt. Patere igitur poteſt per ea quæ diximus, quod hâc ratione perpetuam in ſtatu naturali inter homines offendendi & lædendi, nec non etiam metuendi materiam & occaſionem naſci neceſſe ſit.

VI. Firmiter ergo concludere licebit: Metum fuiſſe cauſam ob quam homines in ſocietates ampliores venerint; & proindè hominem extra ſocietatem talem ſalvum eſſe non poſſe.

Dn. Rachelius diſp. de Pœn. th. 28.

Ut

Ut enim prætermittam illud, quod res, quæ aliàs uſibus noſtris aut elegantiis mirè inſerviunt, ab homine ſolitariam agente vitam commodè percipi nequeant, (quâ de re *Cicero* videndus eſt) quis ſibi, quæſo, inter tantas diffidentias, contentiones ac terrores continuos vitam ſolus agere exoptet? Præclara de hoc ſunt verba *Senecæ* : (a) *Quô aliô*, inquit, *ſumus, quàm quod mutuis iuvamur officiis? Hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos: quid ſumus? Præda animalium & victima, ac viliſſimus & facillimus ſanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium eſt: quæcunq; vaga naſcuntur, & actura vitam ſegregem armata ſunt. Hominem imbecillitas cingit; non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit. Nudum & infirmum ſocietas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium ceteris validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem. Itaq; qui par eſſe nulli poſſet, ſi diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. Societas terris genitum in alienæ naturæ transmiſit imperium, & dominari etiam in mari juſſit. Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit. Hæc fortes nos facit; quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, & unitatem generis humani, quâ vita ſuſtinetur, ſcindes.*

d. libr. 2. de off. vide etiam eund. de amicit. c. m. 23.

(a) *lib. 4. de benefic. c. 18.*

VII. Neque eſt, ut quis à ſocietatibus ſimplicibus, quæ vocantur, iſthæc ſperet. Exiguæ ſunt, nec tales, quæ à vi externa aliiſque tantis incommodis tutos nos præſtare valeant.

IIX. Unde jam priſcis illis temporibus eas non ſuffeciſſe legimus. Experimento enim infirmitatis familiarum ſegregum adverſus violentiam, ad minimum aliquot familias ſimul habitare utilius judicatum fuit. Quod quidem ad illud ævum ſatis eſſe poterat, quò minor hominum nume-

rus, & forte ſimplicior animus minorem quoque metum aliis incutiebat. Non tamen facimus cum illis, qui tum temporis cupiditatem mortalium omnem intra recti fines coërcitam, paucis contentam, luxuriæ ignaram, omnimodè bonam fuiſſe ſomniant. Fabulæ ſunt, & ex aureis ſeculis, quæ Poëtæ ſuis libris deprædicavêre, fluunt, falsò canente *Tibullo*:

Lib. 1. *eleg.* 3.

Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſes
Immiti ſævus duxerat arte faber.

Quis iſthæc, niſi in ſacris Literis ac omni antiquitate hoſpes, credere velit?

IX. Secutis verò temporibus ac nunc, ubi maiori hominum numero, & ex hoc frequentiore malitiâ, imò quæ jam in morem tracta eſt, plus cautionis ad ſalutem requiritur, amplioribus omninò ſocietatibus opus eſſe cœpit. Tantas autem poſtulat neceſſitas, ut iis commodè & vis arceri, & prava cupiditas coërceri poſſit. Et ſic ad ſecuritatem talem obtinendam non ſufficientes vires habebit duorum vel trium conſociatio. Additio enim ex altera parte unius vel paucorum hominum ſatis valida erit ad certam victoriam. Neceſſarium ergo, ut latior ſit ſocietas, & numerus eorum, qui in mutuam opem conveniunt, tantus, ut paucorum ad hoſtes communes acceſſio non ſit ipſis conſpicui momenti ad victoriam. Quod omne civitas, quam vocamus, optimè præſtare poteſt.

Hobbes c. 5. art. 3

X. Atque hâc ratione forſan adverſus externos hoſtes ipſis proſpectum fuerit. Neque tamen adhuc ſatis. Quod ſi enim non conſentiant inter ſe de optima ratione, quâ defenſio fieri debeat, ſed quilibet ſuo modo ſuis viribus utatur, nihil efficietur, propterea, quod diſtracti ſententiis, impedimento magis quam adjumento ſibi invicem erunt. Si verò contingat, ut aliquando in unam actionem ſpe victoriæ

ctoriæ, vel prædæ, vel vindictæ ſatis conſpirent; poſtea autem diverſitas ingeniorum conſiliorumque, vel æmulatio etiam & invidia, quibus naturaliter homines inter ſe contendunt, eos divellat, operam ludent, & res ad priorem ſtatione, belli ſcil. recidet. Major verò adhuc difficultas ſe offert, quî huic occurrendum ſit malo, ſi inter ipſos forte, qui nomen in illam ſocietatem dedêre, diſſidium oriatur, & alter alterum injuriis laceſſat. An enim ſufficiet, ut unusquiſque eorum, qui in civitatem coaleſcunt, cum cœteris paciſcatur de non lædendo, non occidendo, non furando, & ſimilibus legibus obſervandis? Haud ſanè videtur. Cui namque non eſt manifeſta ingenii humani pravitas? Cui non experientia ſatis cognitum, quàm parum amotâ pœnâ, conſcientia promiſſorum mortales in officio contineantur? Ergo non pactis, ſed pœnis ſecuritati providendum eſt, ut dulcedo peccandi amaritudine caſtigationum temperetur, & quilibet intelligat, quod aperte majus malum ſit feciſſe, quàm non feciſſe.

Idem c. 6. art. 4.

Vid. Iac. Lampadius de Republ. Romano-Germ. part. 1. §. 4.

XI. Nec enim aliquid efficiunt illi, qui ſibi perſuadent, rectam educationem & aſſuefactionem ad morum probitatem humanam poſſe ſocietatem conſervare. Non negamus, ſi quilibet virtutis amore quod ſui eſt officii faceret, nec quenquam læderet, facilè nos ſuppliciis carere poſſe. Sed quanta eſt inopia eorum, qui â pravis & injuſtis actionibus ſua ſponte ſeſe cohibent! Cùm & hodiè inter tot carnificinas & erecta patibula frequenter obvenire videamus, quod Poëta canit:

Vivitur ex rapto: non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec ſocer â genero: Fratrum quoq; gratia rara eſt:
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Ovid. libr. 1. Metam. fabul. 5.

Victa iacet pietas: & virgo cæde madentes
Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

libr. 10. cap. ult. §. 4. & ſeqq.

Luculenter illos refellit *Ariſtoteles in Nicomachicis*, ubi ſic loquitur: *Sanè quidem, ſi nihil præter diſputationes atque verba requireretur ad bonitatem virtutemq; comparandam, magnam ea meritò multamq; mercedem reportarent.— Nunc verò ita comparatum eſt, ut verba, doctrina ac præcepta poſſint illa quidem liberalia ingenia cohortari & excitare, & benè nata & amantia honeſtatis ingenia admirabili quodam amore virtutis inflammare. At reliquos qui ſunt multò plurimi, non poſſunt ad virtutem impellere. Horum enim natura eſt, ut non pudore pareant legibus, ſed metu; neq; à pravis abſtineant propter dedecus, ſed metu pœnarum. Perturbationibus enim cum regantur, ſibi notas voluptates ſequuntur, & illa, quibus hæ parantur: fugiunt verò contrarias his moleſtias. Verè honeſtarum autem, vereq; iucundarum rerum ne cogitatio quidem ipſis ulla ſubit: utpote quod earum nunquam quicquam guſtarint. Tales igitur homines quis λόγος poſſit corrigere & à vitiis ad virtutis reſpectum traducere? Nunquam fit enim, aut fit certè difficillimè, ut longo tempore inveterati mores exſtirpentur, & præclarè navata eſt opera, boniq; conſulendum eſt, ſi vel omnibus adhibitis, quibus exiſtimamus bonos fieri nos poſſe, virtutis participes evadamus.* Hæc Philoſophus.

libr. 2. de I. B. ac P. c. 21. num. 3.

XII. Atque ſic certum manet, pœnas eſſe humanæ improbitatis medicinas, ac remedia conſervandæ ſocietatis. Sed nondum æquè apparet, quis ſumere de nocentibus pœnas debeat. *Hugo Grotius*, quem ſine reverentia nemo ſapiens nominaverit, eam fovet ſententiam, quod natura certam perſonam non determinaverit, quæ pœnam infligere debeat; ſed quoad illam pœna licitè exigi poſſit à quocunque qui paria non deliquerit. Idem tamen mox ſubjungit:

git: *niſi quod ſatis indicat natura, convenientiſſimum eſſe, ut id fiat ab eo, qui ſuperior eſt.* Veriſſimè. Etenim cum in rebus noſtris & noſtrorum affectu corrumpamur, vix tutum eſſe videtur, ut nobiſmet ipſis permittatur ultio. Hinc *Lucretius*:

De Rer. Natur. libr. 5.

Acrius ex ira quod enim ſe quisq; parabat
Ulciſci, quàm nunc conceſſum eſt legibus æquis:
Hanc ob rem eſt homines pertæſum vi colere ævum.

Deinde ſi cuilibet ſociorum in civili ſocietate in quemlibet licita eſſet vindicta (uti quidem in ſtatu naturæ meræ conceſſa eſt) & mordentem quis remorderet, verendum eſſet, ne aut parum proficeret animadverſio, aut mox iterum ob continuas concertationes nova diſſolveretur conſociatio. Ergo medium aliud capiendum erit. Ergo conſultum erit, ut unuſquiſque voluntatem ſuam alterius unius, nimirum unius Hominis vel unius Concilii voluntati ita ſubjiciat, ut quæcunque ad ſalutem omnium conducentia Homo ille vel illud Concilium ſtatuerint, pro voluntate ſingulorum habeatur, ratum ſit, atque adeò ſumma ad ipſos poteſtas transferatur. Concilium autem vocat *Hobbes*, *cœtum plurium hominum deliberantium de eo, quod agendum vel non agendum eſt, ad commune omnium bonum.* Quæ verba Statum tùm Ariſtocraticum tùm Politicum ſeu Democraticum in ſe comprehendunt. Atque hâc ratione & civium improbitati per pœnarum conſtitutiones ab Imperantibus commodè frenum injici poterit, & pro prudenti eorundem placito ſaluberrima ordinari media, ad communem ſocietatis hoſtem propulſandum. Nam cùm ob ſalutem civium primò conſtituti ſint Imperantes, ſequitur, unicam hanc illorum curam eſſe debere, ut ſubjecta multitudo conſervetur illique benè ſit. Fiet autem id tùm, cùm idoneè providerint, quo nemini injuria inferatur; ſed omnes convenienti æqualitate ſuis fruantur.

vid. Hobbes cap. 1. art. 7. ſeqq. & c. 5. art. 2

d. cap. 5. art. 6.

XIII. Neminem quoque movere debet, quaſi injuſtum ſit, unum vel paucos tenere imperium in totam multitudinem. Exceptionem hanc invidia ſuggerit, dum vident unum vel paucos habere, quod omnes habere cupiunt. Concederemus autem, ſi iniquum eſſet, non eſſe jus æquale omnibus, eſſe quoque iniquum regimen Unius vel Optimatum. Jam verò cùm ex ſuperioribus facilè pateat, articulis præſertim 4 & 5, ſtatum æqualitatis ſeu naturæ ſtatum belli eſſe & iniquitatis pleniſſimum, ideoque etiam inæqualitatem defenſionis gratia introductam conſenſu omnium; inæqualitas illa non amplius habenda erit pro iniquâ, ubi plus habet is, cui plus volentes dedimus. Et aliàs quoque quod contra rectam rationem non eſt, ac in ſocietatis utilitatem vergit, id juſtè & jure inſtitutum omnes dicunt. Ubi illud prætermittam, Ariſtotelem per omnes in univerſum res, inanimatas pariter & animatas, multoque magis rationales, inductione factâ oſtendere, quod abſque Imperio nihil quicquam benè conſiſtere aut ſalvum eſſe valeat: ut adeò illud maximæ utilitatis, ipſique etiam naturæ amicum eſſe meritò dixeris. In ſacris quoque jubemur ſubjecti eſſe ſublimiori poteſtati, quam humanam ordinationem Petrus vocat: quanquam alibi & divina ordinatio vocatur, quia hominum ſalubre inſtitutum Deus probavit.

libr. 1. Polit. c. 5.

Roman. 13. v. 1.

Sapient. 6. v. 4.

XIV. Dictum à nobis fuit, in ſocietate civili conſtituendos eſſe, vel unum vel plures, qui vi ſummæ poteſtatis cunctas res moderentur: dictum etiam, eos delinquentibus in illa civibus promeritas dictare pœnas debere, adeoque harum medicina membra morboſa curare, ne totum corpus corrumpatur. Quod quidem hodiè & Jure Civili non aliter ſe habet. Ibi enim Majeſtas velut omnium Jurium fons & origo, ſola liberè de his ſtatuere, nec quiſquam hanc poteſtatem exercere poteſt, niſi forte cui vel ratione muneris,

Grot. libr. 1. c. 4. n. 7.

vel

vel etiam perſonaliter ea conceſſa eſt. Inde Imperatores Honorius & Theodoſius: *Idcirco judiciorum vigor jurisq́; publici tutela in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem.* Non eſt autem cur moremur Anabaptiſtarum, Quaccrorum aliorumve rabiem: cum furiales illorum ſententiæ jam tum à multis falſitatis convictæ, & damnatæ ſint. Contendit diabolica progenies, nec divino, nec humano jure pœnæ ſumendæ poteſtatem Majeſtati civili competere. Sed me Chriſte inſigni errore aut malitia. Sanè enim quoad prius ipſe ſummus Jehova minitatur, graviſſimas ſe exacturum pœnas ab iis Magiſtratibus, quorum nimia lenitas impune vitia graſſari permittit. Neque verò humano etiam jure aliis præterquam Imperantibus hanc poteſtatem poſſe competere, ex eo liquet, quoniam niſi hoc ita eſſet, fore ut ſocietas civilis ſtatim iterum diſſolvatur, in antecedentibus modò monſtravimus.

l. nullus. 14. C. de Judæis & cælic.
Dn. Rachelius diſp. de Pœn. th. 28.
Hobbes c. 6. artic 6. ſeqq.

XV. Manere tamen putat *Grotius* veterem naturalem libertatem in locis, ubi judicia nulla exſtant, ut in Mari. Quo ipſe refert quod Caius Cæſar, privatus adhuc piratas à quibus captus fuerat, claſſe tumultuaria perſecutus eſt, partemque claſſis piraticæ fugavit, partem merſit, aliquot naves multosque mortales cepit. Cumque Junius Proconſul negaret ſumere de captivis ſupplicium, & vendere eos mallet, ipſe in mare reverſus omnes cruci ſuffixit. Hoc quoque accommodari poſſe dicit laudatus *Grotius*, ad loca deſerta, aut ubi Nomadum more vivitur. Ita de Umbricis narrare Nicolaum Damaſcenum, quod apud illos ſibi quiſque ultor fuerit: idque etiam apud Moſchos hodiè impunè fieri, poſt tempus aliquod aditi judicis. Nec aliundè originem ſumſiſſe ſingularia certamina, quæ ante Chriſtianam lucem patefactam Germanis uſitatiſſima fuerunt, & necdum ſatis deſueta. Inde novum Germanis fuit apud

d. cap. 20. n. 8.
Vellei. Paterc. 2, 42, 2. ſeqq.
Plutarchus in Caſar.
Sueton. in Caſ. 4.

Velle-

2, 118, l. Velleium, cum Romanæ juriſdictionis formam conſpice-
rent, quod injurias juſtitia finiret, quod ſolita armis diſcer-
d. loc. n. ni jure terminarentur. Rurſus tamen idem *Grotius* cenſet,
14. non tutum eſſe Chriſtiano homini privato, pœnam ſume-
re de improbo quoquam, præſertim capitalem, etiam illis
in locis, ubi Jure Gentium id licet, ſive publici boni, ſive ſui
tantum cauſa id faciat. Unde laudat morem eorum popu-
lorum, apud quos navigaturi mandatis à Majeſtate Civili
ſolent inſtrui ad perſequendos piratas, ſi quos in mari re-
pererint: ut data occaſione uti poſſint, non quaſi auſu ſuo-
pte, ſed ut publicè juſſi.

XVI. Apparuit hactenus, quàm multa pars ſalutis
civilis in juſta pœnarum irrogatione poſita ſit. Eſt verò &
adhuc aliud medium, plurimum quoque ad finem illum
Vid. Dn. obtinendum faciens, præmiorum videlicet diſtributio. Per
Johan. à hæc enim alliciuntur homines ad ſubeundas moleſtias, cum
Felde E- quibus ſtudium virtutis conjunctum eſt. Hinc *Ulpianus* (a)
lem. Iur. dicit, quod JCti tanquam iuſtitiæ ſacerdotes homines *non*
Part. 2. ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoq; exhor-
libr. 2. c. tatione bonos efficere cupiant. Et *Cicero* (b) teſtatur: *nec*
1. art. 1. ullam domum, nec Rempublicam ſtare poſſe, ſi in ea nec rectè
(a) *l. 1. §. factis præmia exſtent, nec ſupplicia peccatis.* Attamen cum
1. de I. mira paucitas ſit eorum, qui, ſi delinquere impune eſſet, ſpe
& I. præmii in via recti perſiſterent; (quo enim non pertrahit
(b) *de* mortales dulcedo peccandi?) cumque multitudinis ea ſit
natur. conditio, ut ſoli ferè neceſſitati, non rationi, pareat, ideoq;
Deor. inſtar iumentorum (c) caſtigationibus coërcenda inque of-
(c) *Ariſt.* ficio continenda ſit; videmus, quod omne ferè momen-
10. Nic. tum ſalutis in animadverſionum ſuppliciorumque terrori-
c. ult. §. bus poſitum ſit.
29. XVII. Clara hinc cuivis ſit ſumma pœnarum iuſti-
tia; quæ non ſaltum iuſtæ ſunt ideò, quod per ipſas humana

ſocie-

ſocietas in ſecuritate ponatur & conſervetur; verùm etiam
quia natura ipſa dictat, licitum eſſe & non iniquum, ut qui
malè fecit, malum ferat. Quod antiquiſſimum & Rhada-
mantheum jus à Philoſophis vocatur. Spectat eodem *Plu-* *libr. de*
tarchi dictum: Τῷ θεῷ ἕπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ *Exil. O-*
θείου νόμου τιμωρὸς, ᾗ χρώμεθα πάντες ἄνθρωποι φύσει πρὸς πάν- *puſcul.*
τας ἀνθρώπους, ὥσπερ πολίτας. *Iuſtitia Deum comitatur, Plutar-*
ultrix in eos qui divinam legem deſeruerint, quâ omnes ho- *chi p. m.*
mines naturâ utimur adverſus omnes homines, ut cives. Pla- *548.*
to etiam dicit: Ἐκεῖνο οὐδεὶς οὔτε θεῶν οὔτ' ἀνθρώπων τολμᾷ
λέγειν ὡς οὐ τῷ γε ἀδικοῦντι δοτέον δίκην. *Nec Deorum nec ho-*
minum quiſquam hoc dixerit, iniuſtè agenti non luendam pœ-
nam. Hierax verò iuſtitiam ab hâc tanquam potiori & no- *Grat. d.*
biliſſima parte deſcripſit τιμωρίας ἀπαίτησιν παρὰ τῶν προη- *cap. 10.*
δικηκότων, *pœnæ exactionem ab iis quæ priores læsêre*: & *Hie-* *n. 1.*
rocles ἰατρικὴν πονηρίας, *malitiæ medicatricem.* Quomodo
autem pœnæ fundamentum ſuum in iure divino, naturali
& civili habeant, inter alios vide apud Dn. D. Claſen. *tr. de*
Iure aggrat. cap. 1. pag. 9.

XIIX. Porrò cum delinquentium audacia & mali- *Dn. Fel.*
gnitas ſæpè minor, ſæpè maior ſit, licitum erit Summæ Po- *de cit.*
teſtati eo uſque in exaſperandis illis procedere, donec ad *loc. n. 5.*
reſtinguendam malitiam ſufficientes iudicaverit. Medici
augere ſolent gradus caloris uſque dum ille potens depre-
hendatur ad intemperiem frigidam tollendam & evertenꝫ
dam: quidni & Legislator in augendis doloribus progredi-
atur, donec libido peccandi ſede ſua expelli poſſit? Errant
igitur, qui pœnam patibuli in furibus iniuſtam pronunci-
ant, quod non proportione facto reſpondeat. Eam enim
nondum ſufficientem eſſe cadaveribus punitorum pleniſ-
ſimæ cruces teſtari poſſunt. Atque licet olim apud Roma-
nos pœna furti vindicativa ſeu civilis fuerit, hoc eſt, quâ ei,

Qui ex furto læſus erat, actio dabatur, in duplum ſi nec manifeſtum erat; vel ſi manifeſtum, in quadruplum rei ablatæ à fure reſtituendum: rectè tamen creſcente hoc delicto Majeſtas in criminalem eam transformavit. Ut hodiè fures non in gratiam ejus qui læſus eſt ſuſpendantur; ſed ut vitioſi homines è medio tollantur, cæteri verò, quo ab alienis abſtineant, deterreantur. Ut nunc omittam, quod prudenter à quibusdam ſtatuitur, juſtè majori ſupplicio puniri furta, quam v. gr. adulteria, quod per illa majus quàm per hæc felicitas civilis detrimentum capiat. Subjungimus hiſce teſtimonium magni Theologi *Martini Chemnitii*, qui *in Locc. Theolog.* ita ſcribit: * *Quæritur hic, an juſtum ſit fures punire ſuſpendio, cum lex divina hanc pœnam non conſtituerit? Sed vera reſponſio eſt, Conſtitutiones Moſaicas noſtras politias non obligare, quæ facinoroſis rectè poſſunt pœnas imponere, pro ratione illius regulæ, ut communis pax & tranquillitas conſervetur, malum de terra auferatur, audacia reprimatur, ut cæteri timorem habeant, multis enim graſſantibus, opus exemplo. Et ipſe Deus in Politia Moſaica oſtendit, pœnas furti pro circumſtantia rei ablatæ vel mitigari vel exaſperari, ut quidam quadruplum, quidam quintuplum reddant, quidam venundentur, quidam morte mulctentur.* Vid. *Magnificus Dn. D. Hahnius, Præceptor meus ſummâ ut æternâ obſervantia proſequendus, in Obſerv. ad VVeſenb. π. D. tit. de furt. ſub n. 14.* Contrarium defendunt *Scotus in 4. d. 15. q. 3. Alex. Ales. 3. part. q. 47. m. 4. Andr. Rivet in explic. 8. Præcept. Ameſius l. 5. de conſcient. c. 2. Bachov. ad VVeſenb. tit. de furt. Anton. Matth. de crimin. in l. 48. Digeſt. tit. 1. c. 2. n. 6. Joh. Iac. VViſſenbach. Diſput. jur. civil. 41. th. 10.* prout eos allegat *Nobiliſſ. Dn. Struvius in Syntagm. Jur. Civil. Exerc. 48. th. 23.* Sed hæc ex occaſione de furtis dicta ſufficiant: regredior de via in ſemitam.

§ pœnæ. 5. de oblig. quæ ex delict. naſc. § in duplũ. 23 § quadrupli. 25. de action. l. quid ergo. 13. § pœna. 7. de his qui notant. infam.

** 2. part. Locc. Theolog. in 7. præcept. circ. fin.*

XIX. E dictis fluit, quod coërcitio illa delinquentium non tantum ad multam aliquam, aut caſtigationem corporalem ſe extendat, verùm etiam eò uſque, ut quidam penitus è medio tolli poſſint. Suadet idipſum ratio, quæ pro ſalute Reipublicæ, atrocitate delicti, aut peccantis malignitate aſperiorem pœnam infligere præcipit. Vitioſitas quippe huius vel talis eſt, ut qualicunque ratione ſanari adhùc poſſit; vel immedicabilis planè, & in quâ omnis curatio fruſtranea. Si prius, pœnæ erunt tales adhibendæ, quæ luxuriantem appetitum caſtigent, ac velut capiſtro refrenent, citra individui interitum. Sin poſterius, tum veluti deſperatæ ſalutis carcinoma quoddam meritò exſcinditur qui deliquit, inque ipſius morte cœterarum partium ſalus quæritur. Cum Republica enim quemadmodum cum corpore humano comparatum eſt. Quod ſi pars quædam morbo laboret, cauſa autem eius medicamentis tolli poſſit, non ipſa corporis pars; ſed qualitas tantùm inhærens & cauſa morbi exiſtens expellitur. Sin illa ita ſit affecta, ut ſpes nulla ſuperſit, cauſam morbi ab eadem removeri poſſe, tunc

— — *Immedicabile vulnus*
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Pari, ut diximus, modô in civitatibus proceditur, ut quarum velut partes & membra quædam ſunt homines. Elegantia hâc de re ſunt verba *Senecæ*: *Legum Præſidem*, ait, *civitatisq; Rectorem decet, quamdiu poteſt, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, ut facienda ſuadeat, cupiditatemq; honeſti & æqui conciliet animis, faciatq; vitiorum odium, pretium virtutum: transeat deinde ad triſtiorem orationem, quâ moneat adhuc & exprobret: noviſſimè ad pœnas, & has adhùc leves & revocabiles decurrat. Vltima ſupplicia ſceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.* Benè item *Iamblichus*: καθάπερ τῷ ἰατρο-

libr. 1. de ira. c. 5. f.

vide eund. etiam c. 16.

Grot. d. cap. 20. n. 7.

πύω

πύῳ βέλτιον τὸ καίεσθαι ἢ τὸ διαμένειν, οὕτω καὶ τῷ μοχθηρῷ τὸ τεθνάναι ἢ τὸ ζῆν. *Quomodo ſuppurato melius eſt uri, quam ſic manere, ita improbo mori quàm vivere.* *Galenus* quoque, poſtquam dixiſſet morte puniri homines, primum ne vivi noceant, deindè ut pœnæ metu alii deterreantur, ſubiungit: καὶ τρίτον δὲ καὶ αὐτοῖς ἐκείνοις ἄμεινον τεθνάναι διεφθαρμένοις οὕτω τὴν ψυχὴν ὡς ἀνίατον ἔχειν τὴν κακίαν. *Tertiò & ipſis expedit mori ita corruptis animo, ut ad ſanitatem perduci nequeant.* Nec abludit *Ariſtoteles*, dum iubet Legiſlatorem τοὺς ἀνιάτους ὅλως ἐξορίζειν, *inſanabiles penitus exterminare.* Quod hauſiſſe videtur à Præceptore ſuo *Platone*, qui in *Protagora*, ut & in *libris de Legibus* ſolā mortem horum ſceleratorum eſſe medicinam ait. Auguſti Imperatoris Coniux Livia in cauſa L. Cornelii Cinnæ: *Non ego omnibus*, inquit, *ex æquo noxiis parcendum eſſe dico, ſed audaces, inquietos, ac ſiniſtri conſilii homines, immedicabilique & continua malitiæ aſſuetos exſcindere te iubeo, exemplo earum corporis partium, quæ medicinam non patiuntur.* A quorum etiam iudiciis non abhorrent ſententiæ Ciceronis, Philonis Judæi, Claudii Neapolitani, aliorumque plurimorum, quorum verba adducit incomparabilis *Hugo Grotius in tract. de Pœnis.* Ut adeò difficilis operæ non ſit, cultiorum in hoc gentium conſenſum oſtendere, niſi iam tum ſingulari diligentia hunc laborem præcepiſſent alii, ad quos amicum Lectorem remittimus. Monendi interea ſunt Magiſtratus, ut cum fallacia ſint eius rei argumenta, & charitas dictet, neminem temerè habendum pro deplorato, hoc quidem ſolo fine ad pœnā mortis non niſi rarò procedant: aliter atque cum ſimul & ipſius læſi & Reipublicæ intereſt, delinquentem ê vivis tolli.

l.10.Nic. c.ult. §. 27.

l. 12.

Dio.l.55.

libr.1.de off. & S. Philipp.

ut Hugo de Roy tr. de Principiis Iur. libr. 1. tit. 6.

XX. *Iuri* autem *naturali* pœnas capitales non repugnare; quidam hoc modo probant; quod, cùm homo æſti-

metur

metur ex ratione, & per hanc à pecore differat, etiam ſe-
cundùm illam ſe gerere, ei maximè conveniat. Qui autem
abjurata omni ratione pravum appetitum ſequitur, is non
amplius habendus ſit pro homine, ſed furentium brutorum
gregibus aggregandus. Quemadmodum verò *rabidos af-* Senec.
fligimus canes, trucem atq; immanſuetum bovem cadimus, & libr. 1. de
morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus: ira. c. 15.
ita eodem jure, eadem ſeveritate ejuſmodi homines tùm ſi-
bi ipſis, tùm aliorum ſocietati eripimus. In genere namque,
quod ob ſocietatis ſalutem ratio recta nos facere jubet, id
quoque cum natura convenire, imò ab eadem exigi putan-
dum eſt. Unde & alii, neque hoc fortaſſis malè, docent,
naturam non tantum permittere, verùm etiam præcipere,
ut ſontium aliqui capitali ſupplicio mactentur, ſi ſcilicet
peccatum tantum ſit, ut ejusmodi pœnam dignè ferat: quâ
de re benivolus Lector Juris Naturalis & Gentium Ddres
pluribus conſulet. *Iuri* porro *divino* probari quoque pœ-
nas vitam juſtè adimentes, exindè liquet, quoniam eodem
jure non ſaltim mali è medio tolli iubentur; verum etiam
iis pœna determinatur, qui cum punire debebant, non pu-
niverunt. Quo pertinet, quod Deus ipſe graviter iratus fuit
Sauli parcenti Agago Amalekitarum Regi, quem occidere 1. Samuel.
debuerat. *Deuter. XIII. v. 5.* inquit Deus: *Auferes malum* 15. v.
è medio tui. v. 9. & 10: Occidendo occides eum, manus tua e- 23.
rit in eum prius, ut interficias ipſum, & manus univerſi populi
poſtea. Et lapidabis eum lapidibus, & morietur. Cauſa addi-
tur *v. 11 Vt univerſus Iſraël audiant, & timeant, nec audeant*
ant facere aliquid ſimile huic rei peſſimæ in medio tui. Paria
habentur *c. 17. v. 5. 12. 13. c. 18. v. 20. c. 19. v. 19. c. 22. v. 22.*
24. Levit 24. v. 16. 17. c. 20. v. 2. 10. 11. ſeqq. c. 18. v. 29. Exod. 21. v. 14 15. 16. 20. c. 22. v. 18. 19. Et exempla *Exod. 32.*
v. 18. Ioſ. 7. v. 25. 1. Reg. 2. v. 25. 31. 46. Pſ. 101. v. 8. Et quod

frequens apud Judæos ſupplicium fuerit, lapidibus occide-
re delinquentes vel ſuſpendere, ſacram volventi paginam
uſque conſtare poteſt. Sed & ſecundum Novi Fœderis Præ-
Rom. 13. v. 4. cones, Magiſtratus *non temerè gladium geſtat, nam miniſter Dei eſt, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit.* Neq;
mirum videri debet, juxta incomparabilem virum *Hugonem*
ib. l. 1. c. 2. n. ult. *Grotium* quod veteres Chriſtiani non libenter interfue-
rint capitalibus ſuppliciis: cùm illis temporibus plerumque
de Chriſtianis ipſis eſſet ferenda ſententia. Cui quis poteſt
addere, quod & in cœteris rebus nonnullæ leges Romanæ
duriores erant, quàm Chriſtiana patiebatur lenitas: uti vel
ſolo Silaniani SCti exemplo ſatis ſit manifeſtum. Secutis
autem temporibus cum Conſtantinus Chriſtianam religio-
ném probare & promovere cœpiſſet, non modo non deſi-
erunt capitalia ſupplicia; verùm ipſe etiam Conſtantinus
inter alias de parricidis culeo inſuendis Conſtitutionem tu-
lit, quæ eſt *L. unic. C. de his qui parent. vel liber. occid.*
quamvis is alioqui quoad pœnarum exactionem mitiſſi-
mus fuerit Imperator, adeò ut nimiæ lenitatis nomine hi-
ſtoricorum non paucorum reprehenſionem incurrat. Nec
quoque iterum hic curamus, quæ Anabaptiſtæ & Photinia-
ni præfractè nobis obmurmurant. Remittimus illos ad *D.*
Johann. Gerhardum (a), *Henricum Eckardum* (b), *Ioh. Schel-
hammerum* (c), *Theod. Thummium* (d), & hos referentem
Dominum Carpzovium (e), qui eorum calumniam ſolidis
argumentis obterit & contundit. Quin tandem mortis pœ-
na *Iure* etiam *Civili* ſit recepta, nihil dubitationis relin-
quitur. Ob quem enim finem alium excogitata tot horren-

da

(a) *in Locc. Theolog. loc. de Magiſtr. Polit. c. 6 ſect. 5. membr. 2. art. 3.* (b) *de Ordin. Eccleſ. & Polit. part. 3. c. 2. qu. 3.* (c) *in refut. Poſtill. Valent. VVeigel. c. 13. tit.* vom Stande der Weltlichen Obrigkeit. (d) *in Impiet. VVeigel. ſive admon. neceſſ. de 120. Error. VVeigel. Error. 103.* (e) *in Prax. Crimin. part. 3. qu. 101. n. 22. & ſeqq.*

da ſupplicia (f), gladii, ſecurum, ſtrangulationis, furcæ, præcipitationis de ſaxo, ignicremii, & hodiè patibulorum, fuſtigationis ad necem uſque, membrorum per rotam confractionis, ſtipitis per medium hominem adactionis, forcipum ignitarum; ſectionum quæ ferro fiunt, alia? Quò etiam illud antiquum Metii in proditores pertinet, de quo *Virgilius:* (g)

> *Haud procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ*
> *Diſtulerant, (at tu dictis, Albane, maneres:)*
> *Raptabatq́; viri mendacis viſcera tellus*
> *Per ſylvam, & ſparſi rorabant ſanguine vepres.*

Quamvis *VVeſenbecius* (h) dicat, nunc abſque equis ferro eos ſecari, ſæpè etiam prius capite plecti, ac tum demum differri in partes ſolere. Cuncta verò iſthæc ſatis arguunt, non eſſe ignota civilibus legibus, atque etiam hodiè uſitatiſſima mortis ſupplicia; ut ſuperfluum ſit adducere illas leges, quæ Præſidem curare jubent, *ut malis hominibus Provincia careat, ut eam ab his purget, conquirat maleficos, ac prout quisq́; deliquerit in eum animadvertat.* (i) Sanè huic fini Libri XLVII & XLIIX Digeſtorum ab ipſo ſacratiſſimo Imperatore Terribiles vocantur (k), *quod omnem contineant ſeveritatem, pœnarumq́; atrocitatem:* ut adeò latius hoc demonſtrare velle, ſit in ipſo meridie candelas accendere. Manet itaque evidentiſſimum, Majeſtatem omni jure ab improbis pœnas etiam capitales exigere poſſe.

XXI. E re autem eſſe videtur, ut certâ lege definiatur, quam quodque peccatum expectare pœnam debeat. Ut ut enim ſapientiſſimi ſint qui imperant, homines tamen ſunt, hoc eſt, qui appetitum, ingentem beluam, matrem plurimorum malorum, junctum habent. Verendum hic, ne aliquando affectuum perturbatio ſententiam ferat, quæ ad juſtitiæ regulam collata, minus recta ſit, imò tota flexa &

(f) *Vid. l. 8. §. 1. 2. 3. D. de pœn. l. 11. §. f. l. 28. D. eod. l. 9. C. ubi cauſa fiſcal. l. unic. C. de mulier. quæ ſe propr. ſerv. jũx. l. unic. C. de Nili agger. non rũp. t. t. I. de public. iud. & paſſim.*

(g) *libr. 8. AEneid. v. 642.*

(h) *in τ D. de pœn. n. 3.*

(i) *l. 13. pr. D. de off. Præ. & ſid. l. 3. eod.*

(k) *l. 2. §. 8. de vet. iur. enucleand.*

& curva. Neque id periculi in Majeſtate propriè eſt; verùm potiſſimum in illis, quos Juſtitiæ adminiſtros ſibi legit. Quis horum coniunctis ſibi non benignior, aſperior iuſto cæteris? Ceſſabit autem omne hoc malum, & ſuſpicio apud ſubditos quoque, ſi & ſeipſam aliquomodo, & hos conſtitutionibus de pœnis latis adſtringat. Sed & non infrequens judicum inſcitia ac id movere poteſt. Uti enim imperitos equites, cum equum regere non poſſunt, ephippium manu prenſare videmus, & ita lapſum declinare: ita imprudentes Magiſtratus non proprio cerebro, ſed verbis legum inſiſtere tutius erit. Addam & hoc, exterteri melius poſſe peccaturos, ſi quæ ſubeunda ſint ſupplicia, ob oculos poſita habeant, præſertim ubi graviora ſancita fuerint.

Bodin. de Republ. l. 6. cap. 6.

XXII. Poſtquam autem pœna definita eſt, ſive lege ſit præſcripta, ſive etiam per longum uſum introducta, non temerè ab hâc recedere debet Imperans. Dico non temerè: nam *in rebus novis conſtituendis*, inquit JCtus *Ulpianus*, *evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt.* Si verò majorem, quàm definivit & delicto huic conveniens eſt, pœnam exigeret Majeſtas, in legem naturæ ipſa peccaret. Sin minorem vel nullam, metuendum eſſet, ne temeraria remiſſione, pœnarum legumque vileſceret auctoritas. Hâc verò deficiente, quæ non incrementa capit delinquentium libido? quæ non pericula per hanc civitatibus imminent? Romanæ eloquentiæ parens in Verrem ſic invehitur: *Quid ais, bone cuſtos, defenſorq́; Provinciæ? tu, quos ſervos arma capere, ac bellum facere in Sicilia voluiſſe cognôras, & de conſilij ſententia iudicaras: hos ad ſupplicium iam more maiorum traditos, & ad palum alligatos ex media morte eripere ac liberare auſus es? ut, quam damnatis ſervis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus R. reſervares? Perditæ civitates, deſperatis omnibus rebus,*

l. 2. de conſtit. Princ. vid. Hobbes c. 13. art. 16.

libr. 5.

bus, hos ſolent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum reſtituantur, vincti ſolvantur, exules reducantur, res judicatæ reſcindantur. Quæ cum accidunt, nemo eſt, quin intelligat, ruere illam Rempublicam, hæc ubi veniunt, nemo eſt, qui ullam ſpem ſalutis reliquam eſſe arbitretur. Ita præclarè *Tullius*. Nocet enim bonis, qui parcit malis.

XXIII. Non tamen è dictis ſequitur, quaſi ignoſcere nunquam liceat. Negant id Stoici, uti apparet ex illis, quæ apud laudatiſſimum *Grotium* hâc de re adducuntur; ſed levi argumento. Dicunt: *Venia debitæ pœnæ remiſſio eſt. Sapiens autem nihil prætermittit, quod debet.* Fraus hic in voce debitæ occulta eſt. Quod ſi enim intelligas, eum qui peccavit pœnam debere, id eſt, poſſe ſine injuria puniri, jam non exindè fluet, ſi quis non puniat, eum facere, quod facere non debet. Si verò ita accipias debitam eſſe pœnam à ſapiente, hoc eſt, omninò oportuiſſe exigi, dicemus id nòn ſemper verum eſſe, poſſe enim aliquando ſenſu iſto pœnam eſſe non debitam, ſed ſaltim licitam. Nam tria hæc accidere poſſunt: vel ut pœna omninò exigi debeat, ut in peſſimi exempli ſceleribus; vel omninò non exigi, quod fit, quando evidens Reipublicæ neceſſitas hoc jubet; vel etiam licere utrumvis poteſt. Ad hoc ultimum refer, quod *Seneca* dicit: *Clementiam habere liberum arbitrium.* Regerunt hic Stoici: *Sapientem tunc parcere, non ignoſcere.* Quaſi vero, inquit *Grotius*, nobis non liceat cum vulgo loquendi domino *Ignoſcere* vocare, quod *Parcere* Illi vocant. Nimirum contentio hæc inanis circa voces inſtituitur, quod in Philoſophis grave vitium eſt. Animadverterunt autem & Cicero, & Galenus, & alii, magnam Stoicarum diſputationum partem circa verba conſumi. Benè *Scriptor ad Herennium: Vitioſum eſt, controverſiam intendere propter nominum mutationem.*

all. loc. n. 21. ſeqq. *Senec. l. 2. c. ult. de Clement.* *d. loc.* *ib. n. 23.* *libr. 2. §. 42. in fin.*

XXIV. Sed operæ pretium eſt monſtrare, & ante legem pœnalem, & poſt eam poſitam veniam concedi poſſe. Atque notum quidem eſt, etiam ante ſancitam pœnam delinquentem naturaliter in eo ſtatu eſſe, ut licitè puniri poſſit. Ne autem hinc inferas, oportere ſemper pœnam de ipſo ſumi. Ex connexione finium, ob quos pœna exigitur, cum ipſa pœna, totum hoc pendet negotium. Fines autem pœnæ triplices faciunt: nam reſpicit illa vel utilitatem ejus qui deliquit; vel illius, qui læſus eſt, cujuſque intererat non peccatum eſſe; vel indiſtinctè quorumlibet, ſive Reipublicæ. Hinc ergo, ſi ratione Reipublicæ fines illi morali æſtimatione neceſſarii non ſint, ut fit in peccato pauciſſimis cognito, cujus publica traductio damnoſa magis quàm utilis futura ſit, jam apparet, nihil eſſe, quod ad pœnam exigendam nos præciſè obliget. Si etiam alii fines ex oppoſito occurrant non minus utiles ac neceſſarii, v. gr. in eo, qui benemerita ſua vel parentum repenſari digna, vel etiam inſigne aliquod artificium culpæ opponit, jure eam omitti poſſe ſtatuimus. Ratione peccantis autem, & illius qui læſus eſt, pœna ceſſabit, ſi fines pœnæ aliàs propoſiti alia poſſint via obtineri, uti fit, quando vel ſpontanea jam apparet delinquentis emendatio, vel ejuſdem ſatisfactio illi præſtita, cujus intererat nihil commiſſum eſſe. Atque hæc Chriſtianæ charitati quàm maximè convenire videntur. Nam cum omni pœnæ, præſertim graviori, aliquid inſit, quod ſi per ſe ſpectes non quidem juſtitiæ, ſed charitati tamen adverſetur, facilè permittit ratio eâ abſtineri, niſi major ac juſtior charitas quaſi irrefragabiliter obſtet. Non autem putamus, quaſi uno fine ſublato, pœna ſtatim remittenda ſit: potius ſemper illi locus erit, quamdiu non omnes, aut certè principales, ceſſare contigerit.

Grot. ib. n. 6.

Dn. Fel. de Elem. Part. 2. libr. 2. c. 3. mēbr. 4. n. 5.

Grot. d. loc. n. 22.

XXV. Hæc de Venia, quæ fit ante legem pœnalem.

Diffi-

Difficilius autem eſt dicere, utrum id etiam poſt eam poſitam procedat? Non quidem ideò, quia legis auctor aliquo modo ipſe legibus ſuis obligatur: hoc enim fit, quando ut pars civitatis conſideratur. Ad nos autem conſideratio illa non pertinet, qui Legislatorem non ut partem ſpectamus; ſed ut eum, in quo virtus inſit integri. Atqui hoc modo poterit totam etiam tollere legem, ut quæ ab ipſius voluntate pendet non in origine tantum, ſed & in duratione. Si verò tollere eam poteſt, quidni etiam temperare aut per Gratiam illi derogare? *Statutum eſt*, inquit *Auguſtinus*, *ne liceat in reum datam ſententiam revocare. Nunquid & ipſe Imperator ſub hâc erit lege? Nam ipſi ſoli licet revocare ſententiam & reum mortis abſolvere & ipſi ignoſcere.* cauſam ſubjungit: *quia non eſt ſubjectus legibus, qui habet in poteſtate leges ferre.* Ergo periculum in hoc ſaltim poſitum erit, ne frequenti & temerariâ indulgentiâ legum decreſcat auctoritas: quod malum à Majeſtate omnibus modis caveri debet. Veruntamen cùm ipſa nonnunquam ratio ob ſufficientem cauſam delicti gratiam facere ſuadeat, videmus, Principem aliquando debere, & tutò etiam poſſe animadverſionem remittere, ſi, ut diximus, probabilis adſit cauſa, quæ ipſum moveat. De cauſis autem in genere hic pronunciamus, majores eſſe debere, quæ poſt legem pœnalem, quàm quæ ante illam ſpectantur; accedit enim ad eas ipſa Conſtitutionum auctoritas, quam illæſam ſervari multum refert. In ſpecie verò quæ probabiles ſint, hîc exponere nolumus, nam infra illas latius examinare ex officio nobis incumbet. *libr. de Fato.*

XXVI. Venimus jam ad id, à quô forſan primordia capienda fuiſſent. In quô deducendo ſi cui paulò diuti⁹ immorati videamur, apud eum vel ideò excuſationẽ merebimur, quia hocipſũ ex uſu fore putavimus. Res ex principiis

eruenda fuit, ut in ſequentibus eò liberior nobis progreſſus pateret. Nam & juxta Philoſophi conſilium, ſemper quædam ſunt præcognoſcenda, & principia videntur pluſquàm dimidium totius eſſe, compluraque eorum, quæ in quæſtione poſita ſunt, per ea manifeſtari. Nunc, ubi jam à nobis clarum factum eſt, poſſe aliquando GRATIAM delicto fieri, inoffenſo pede ad plenam ejus tractationem accedimus.

2. Analyt: poſter. 11. l. 1. Nicom. c. 7. in fine.

MEMBRUM II.

PROPONITUR NOMEN ET NATURA GRATIÆ.

CONSPECTUS.

27. *Gratiæ varias eſſe ſignificationes: nobis ſignificare favorem.*

28. *Varia item habere eam ſynonyma.*

29. *Quid h. l. ſit Gratia.*

30. *Iam multis retrò ſeculis cognitam fuiſſe hanc Gratiam, & ſæpè delinquentibus exhibitam.*

31. *Idem & hodiè poſſe fieri.*

32. *Diſtinctam eſſe Gratiæ & Æquitatis naturam.*

XXVII. GRATIÆ verò Vocem quod concernit, non unius etiam apud probatos Scriptores ea ſignificationis eſſe reperitur. Aliquando idem, quod *Favor*, denotat; ſæpius autem pro *Gratitudine* ſumitur. Illo in ſignificatu
l. 4, 74, 4. *Tacitus* uſurpat, quando Sejani faſtum deſcribit, coram quô Patres, Equites ac magna pars plebis *campo aut littore iacentes, nullo diſcrimine noctem ac diem, iuxta GRATIAM*
9, 3, 22. *aut faſtus ianitorum perpetiebantur.* Et *Curtius* de Alexandro refert, quod *aditurus Oceanum, diſcordes & vetera odia retractantes Porum & Taxilem Indiæ Reges firmata per adfinitatem GRATIA reliquerit in ſuis Regnis.* Magis verò

ad

ad materiam noſtram appoſitè *Saluſtius: Senatus & Populus R. beneficii, & injuriæ memor eſſe ſolet: cæterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti GRATIAM facit.* Et M. Portius Cato apud eundem alibi: *Qui mihi atq; animo meo nullius nunquam delicti GRATIAM feciſſem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam.* *Ciceroni* autem ferè tantùm quod *Gratitudo* valet, nam vocat eam, (a) *in quâ amicitiarum & officiorum, alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur.* Et paulò ante (b) dicit, quod *Gratia* ſit, *quæ in memoria & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum, obſervantiam tenet. Franciſcus* tamen *Piccolomineus* (c) in triplici eam ſignificatione uſurpari notavit. Primò dicit eam accipi pro dilectione, at non quavis, ſed eâ quâ ſuperior inferiorem diligit. Undè ſit, quod dicamus, viros probos eſſe in gratia Dei, populum in gratia Principis &c. Deindè eam ſumi pro officiorum vel beneficiorum retributione aut collatione; de qua *Auſonius:*

in Jugurth. p. m. 106.

in Catilin. p. m. 32.

(a) *libr. 2. de Invent. §. 36.*

(b) *d. loc. §. 13.*

(c) *Grad. 8. univerſ. Philoſoph. de morib. cap. 37. quem vide ibid. & in ſeqq.*

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt; — —
Quæ fieri properat, Gratia grata magis.

Tertiò uſurpari Gratiæ nomen pro ea venuſtate & lepore, qui cum pulchritudine arcto neceſſitatis nodo eſt colligatus: in quâ Gratiæ ſignificatione celebrentur ancillæ Veneris. Nobis impoſterum in primo illo ſignificatu veniet quâ alias ſtatuitur eſſe libera voluntatis alicujus in alterum propenſio, aliquid conferens ſine meritis alterius,

XXIIX. Vocabula quoque Synonyma vel adfinem ſaltim ſignificationem habentia, varia apud JCtos & Politicos reperiuntur. *Seneca* paſſim Clementia dicitur. *Carpzovius* (d) & *Beſoldus* (e) Veniam pœnæ vocant:

 Virgi

(d) *Practic. Crimin. part. 3. qu. 150. n. 14. & 51.* (e) *Diſſert. 2. de Præm. & Pæn. c. 2. n. 9. & libr. 2. Polit. c. 2. n. 9. in fin.*

Virgilius Pingizerus (f) & *Duarenus* (g) Condonationem pœnæ: *idem Duarenus* (h), *Franciſcus Luiſinus* (i), *Petrus Theodoricus* (k), *Beſoldus* (l) & *VVeſenbecius* (m) Indulgentiam: â quô ultimô (n) etiam Reſtitutio ſeu Remiſſio à ſummo Principe facta appellatur. Dicitur etiã Remiſſio Criminis ſive Remiſſio Venialis à *Pingizero* (o) & *Beſoldo*: (p) Favor contra diſpoſitionẽ legalem ab *Antonio Giurba*: (q) à Canoniſtis quibuſdam Clementia Regalis; Principalis favor in diſpenſando ſuper Pœnarum ſanctionibus (r) ab aliis Abſolutio & Abolitio (s); à plurimis autem, utut barbarè, Aggratiatio & indè Jus Aggratiandi; *Germ.* Die Begnadigung der Maleficanten/ das Begnadigungs-Recht. (t) &c. Nos antiquam Gratiæ vocem malumus retinere, ut quâ etiam Ddres paſſim uti videmus.

XXIX. Quoad materiam autem noſtrã *D. Adamus Cortreius* (u) eam diffuſis verbis, licet juſto ſtrictiùs hôc modô circumloquitur: *Remiſſio Venialis eſt actus iuſtitiæ univerſalis, quô vel ipſo iure naturali & legitimo, vel facto eius qui maieſtate pollet, delinquentibus, cauſa prius cognita, pro ratione & qualitate delicti, pœnæ vel remiſſio vel mitigatio tribuitur, ut in delinquente peccandi verecundia quædam miſericordiâ excitetur, & cæteri, qui nondum enormiter deliquerunt, eadem ad benè operandum invitentur.* Nobis iſthæc placet

(f) *Quæſt. Saxon. 8. in princ.* (g) *ad l. 2. C. de ſentent. paſſ. c. 1.* (h) *d. loc.* (i) *tr. de Pœn. poſit. 17. n. 29.* (k) *Colleg. Crimin. diſp. 10. de pœn th. 7.* (l) *libr. 1. Polit. c. 4. de Iurib. Maj. ubi etiã Bellarminum citat, 1. de Indulg. 1.* (m) *tr. D. de pœn. n. 10,* (n) *ibid.* (o) *d. loc. n. 2.* (p) *eod. loc. §. 4.* (q) *Tom. 1. Conſil. 35. n. 2.* (r) *Claſen. de iur. aggrat. capit. 4.* (s) *ut à Proſper. Farinacio in Prax. & Theor. Crimin. lib. 1. tit. 1. qu. 6. & VVeſenb. d. loc.* (t) *Adam. Cortrei. d. diſſert. de iur. aggrat. th. 7.* (u) *d. loc.*

placet deſcriptio, quâ Gratia dicitur benivola voluntatis propenſio, quâ ſumma poteſtas vel propter, vel citra cauſam probabilem delicti alicujus reo pœnam jure debitam remittit. Explanare verba hæc ſuperſedemus, cùm quod in ſe ſatis ſint dilucida, tùm etiam quod ex illis, quæ porrò dicemus, evidentiora adhuc ſint futura.

XXX. Reperimus autem, jam antiquis Seculis hoc gratiam concedendi jus non ignotum fuiſſe, Principesque ac Populos liberos, ſi quidem jura Majeſtatis habuerint, non infrequenter illud exercuiſſe. In Sacris legimus, optimum Regem Davidem pœnam remiſiſſe Simei, homini aliàs ſceleſtiſſimo, & qui læſæ Majeſtatis crimen commiſerat. Judæi etiam ad conſuetudinem illam provocarunt, quâ moris erat, tempore Paſchatos reorum quendam ê carcere dimittere: undè inſanis precibus à Præſide Romano latronem illum liberum impetrarunt, innocentemque Servatorem ad immeritæ mortis ſupplicium poſtularunt. Inſigni verò præ aliis Clementia uſus eſt Philippus Macedonum Rex erga Nicanorem, qui omnibus in locis, quantum poterat, eum criminabatur. Nam cùm Sinycitus aliique amici ſuaderent, ut comprimeret Rex maledicentiam ejus, recuſavit illud Philippus, ac non tantùm non animadvertit in eum; ſed etiam cum inopiam eius noſſet, dono pecuniam miſit. Notum porrò eſt, quod Romanis in more poſitum fuerit, ut ſi capitis damnatus ad ſupplicium duceretur, ei verò Virgo Veſtalis fortuitò occurreret, ſupplicio is eximeretur, & ſolutus dimitteretur. Aliud adhuc exemplum M. Aquilius nobis præbet. Is repetundarum accuſatus, cùm in eo eſſet ut damnaretur, M. Antonius Orator, qui cauſam ejus defendebat, aperta ipſius tunica, judicibus ac populo ci-

2. Sam. 19. v. 23.

Baptiſt. Fulgoſ. libr. 5.

Plutarch. in Numa Pompil.

Baptiſt. Fulgoſ. libr. 8.

catri-

catrices oſtendit eorum vulnerum, quæ in pectore pro patria exceperat: quibus moti judices ſtatim eum abſolverunt. *Florus 1, 3, 5.* M. Horatius quoque ob interfectam ſororem, lugentem ſponſi à fratre occiſi mortem, accuſatus, propter virtutem abſolutus eſt. Inter Romana autem exempla inprimis Auguſti Imperatoris clementia eminet. *Senec. libr. 1. de clem. c. 9 Fulgoſus libr. 5.* Cum enim in Gallia moraretur, delatum eſt ad eum indicium, L. Cinnam, Cn. Pompeii nepotem, inſidias ei ſtruere. Dictum eſt & ubi, & quando, quemadmodum aggredi vellet, unuſque ex conſciis deferebat. Sed uxoris Liviæ ſuaſu Cinnam ſolum in cubiculum accivit, eique omnia patefecit, quæ acceperat. Quâ re Cinna perterritus cum neque deprecaretur crimen, neque negaret, Auguſtus humaniſſimè omne odium remiſit, atque in ſequentem annum Conſulem deſignatum in familiarium amicorum numero habuit. De M. Philoſopho, *Capitolin. in ejus vit.* laudabili Imperatore, hiſtoriæ produnt, eum plerumque crimina minore ſupplicio, quàm legibus plecti poterant, punire ſolitum fuiſſe. Sed nec apud moratiores tantum populos hoc obtinuit; ipſi nonnunquam barbari rigorem ſuum hâc in parte temperarunt. *Petrus Bizarus libr. 4. Hiſtor. Perſ.* Ita Coſroës Perſarum Rex plures è clementia à pœna mortis liberaſſe, quam è juſtitia condemnaſſe dicitur. Tagyſtanes etiam nobilis Tartarus, a) ob ſeditionem in exercitu concitatam vivus aliquando defodi debuit. Sed Magnus Chamus, cognita ipſius maſculâ virtute, quodque tumultus ſaltim ab eo factus eſſet ob dolorem exindè perceptum, quia in honore militari alius ipſi prælatus erat, pepercit vitæ ejus, eumque â pœna mortis abſolvit. Hæc ſanè, ut alia multa quæ ſtudio omittimus, teſtimonium perhibere poſſunt, non omninò ignotam fuiſſe antiquitus Gratiam illam, quæ pœnæ remiſſionem delinquentibus tribuit.

(a) Hiſt. Tartar. p. 205. cit. Claſen. d. tr. de Jur. agg. grat. c. 4 pag. 45.

XXXI. Quin hodiè idem fieri poſſit, nihil nos dubitare

tare ſinit. Quis enim neſcit, quæ & quanta Principibus liceant, circa quæ privatos judicium ſuſpendere oportet? Et vereor, ne ambigenti de hoc opponi poſſit, quod Imperatores dicunt, *diſputare de Principali judicio non oportere; ſacrilegij enim id inſtar eſſe.* Neque tamen eſt, ut quis opinetur, ſi Majeſtas hodiè delicti gratiam faciat, per hoc eam ſemper ab omni juſtitiæ ratione recedere. Sanè ſi ob Reipubl. commodum aliamve probabilem cauſam fiat, omninò cum laude conjunctum id eſſe cenſendum eſt. Nec etiam decet, ut tam facilè de factis illius dubitemus, cujus præſcripta alia in civitate nos venerari & juſta reputare convenit. Sed cùm ſupra articulo 23. & ſequentibus de juſtitia hujus Gratiæ à nobis actum ſit, non neceſſum erit, ut amplius hic in illam inquiramus: argumenta quoque illorum, qui in negativam partem inclinant, infra, ubi de Contrariis dicemus, examinabimus.

l.3.C.de crimin. ſacril.

Vid. Dn. Claſen. Tract. de Iure aggratiãd. toto c.5.

XXXII. Licet autem Gratia hæc magnam cognationem cum Æquitate habere videatur, non tamen quis ſtatuere debet, ac ſi idem omninò cum illa ſit. (a) *Primò* enim amplius aliquid Gratia ponit, ac magis adhuc ad charitatis naturam accedit. Undè eum, qui etiam ſecundum Æquitatem mortis ſupplicio plecti poterat, Gratia propter probabilem cauſam in vita ſervare poteſt. Pone enim hominem ſenem furatum eſſe argenti ſummam: hic ſecundum ius ſtrictum per conſtitutionem Friderici Imperatoris (b) ſuſpendendus eſſet. Poſſit autem forſan ex Æquitate & habita ratione ſenii gladio in eum animadverti; idque ex plerorumque DDrum (c) ſententia, quæ ſenes non minus atq; impuberes ac minores mitius puniendos eſſe vult. Sed ſi inſigne aliquod & rarum artificium calleret, puta neceſſitate

(a) *Vid. Dn. Claſen. d. tr. cap. 3. Excell. Dn. D. Meier. in Prælect. priv. ad Ariſt. libr. 5. Ethic. ad Nicom. cap. 10. Reinhold. Meier. Diſſert. de Remiſſion. pœnar. th. 63.* (b) *2. F. 27. §. ult.* (c) *Quos allegat Dn. Carpzovius Pract. Crimin. part. 3. qu. 144. n. 1. Vid. Andr. Tiraquell. tr. de pœn. tempor. aut remittend. cauſ. 8. n. 1.*

belli machinas fulminales præ cœteris rectè in hoſtem exonerare ſciret; tùm quin tali homini ex Gratia vita concedi poſſet, nullus equidem dubitarem. *Deinde* Æquitas circa legum interpretationem vel rectius correctionem occupatur, dum, ſi quid forte in iis durum quoad præſentem caſum aut obſcurum fuerit, benigniorem ſenſum eligit. In talibus enim mens potius & ſententia legislatoris, quàm verba legis attendenda ſunt (d): vel ſi nimis aſpera ſit, expectanda à Principe interpretatio, aut potius mutatio. (e) Quô modô ab *Ariſtotele* (f) deſcribitur *ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου· correctio legis, quâ aliquid ei deeſt, propterea quod generaliter loquitur.* Gratia verò pœnalium legum nec interpretationem nec correctionem reſpicit, ſed potius earundem derogationem inducit, vel tollendo pœnam, vel mitigando ſive alterando. *Rurſum* Æquitas (in leniorem ſcil. partem accepta: nam & ſeverior aliquando eadem jure ordinario eſſe poteſt (g) ſtrictum jus temperare tantum videtur, & legem emolliens mitiore reum ſupplicio afficit: quod ſecus eſt in Gratia, quippe quæ pœnâ etiam totam condonare poteſt, idq; non ex iuris interpretatione aut correctione ſed mero Principis favore clemẽtiq; animi propenſione. Unde *Panormitanus* (h) dicit: *Æquitas è favorabiliore legis duræ vel obſcuræ explicatione ſumitur: ſed aggratiatio ex mera gratia & clementia ſuperioris provenit. Tandem* etiam diverſa ab invicem utriuſque ſubiecta ſunt. Æquitas enim non ſolum ad Maieſtatem, ſed & ad inferiorem Magiſtratum ſeu Judicem ſpectat (i), ut qui ſemper id quod mitius eſt ſequi debet, licet reum planè impunitum dimittere nequeat. (k) Quod diſertis verbis JCtus (l) probat, dum inquit:

(d) *l. ſcire. 17. D. de LL.*
(e) *l. 1. l. 9. l. 11. l. 12. C. de LL.*
(f) *5. Nicom. 10. §. 18.*
(g) *Dn. D. Meier. ubi ſupra.*
(h) *ad c. 1. X. de pœn.*
(i) *l perſpiciendum. 11. D. de pœn. l. etſi 3. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l. quid ergo. 13. §. 7. ubi gloſſ. & Dd. D. de his qui notant. infam. Vid. Dn. Carpzov. part. 3 qu. 142. n. 24. ſeqq.* (k) *Dn. Carpzov. ibid. qu. 150. n. 49. ſeqq. Proſper Farinac. in Prax. Crimin. lib. 1. tit. 1. qu. 6. n. 2. & 10.* (l) *l. 13. D. de pœn.*

inquit: *Hodiè licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel graviorem, vel leviorem, ita tamen ut in utroq; modo rationem non excedat.* Ac ne quis putet, de criminibus ſolummodo extraordinariis *Vlpiani* reſponſum eſſe accipiendum; *Marcianus* JCtus in genere pœnas ex qualitate facti exaſperare vel mitigare iubet, ubi ait, *perſpiciendum eſſe iudicanti, ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſa depoſcit, nec enim aut ſeveritatis aut clementiæ gloriam affectandam eſſe, ſed perpenſo iudicio, prout quæq; res poſtulet, ſtatuendum eſſe. Planè in levioribus cauſis proniores ad lenitatem iudices eſſe debere, in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi.* Quæ cuncta de Æquitate tantum accipienda ſunt. Quoad Gratiam enim aliter ſe res habet, quia veniam delinquenti pro arbitrio ſuo impertiri, Supremæ tantum Poteſtati reſervatum eſt: niſi forte ſpecialiter alicui id iuris ab ea conceſſum ſit. Argumenta vero illorum, qui & Judicibus hoc ius adſcribunt, nihil aliud probant, præterquam poſſe Judicem aliquandò pœnam ordinariam ex Æquitate mitigare; haud vero ei pro lubitu delinquentibus totam & quidem ex Gratia remittere licere, quod uti contra nos non eſt, ita facilè largiri poſſumus. Satis autem, nî fallor, ex hiſce liquet, quod diſtincta ſit Gratiæ & Æquitatis natura, & diverſi etiam effectus ſæpè ab utraque dimanent.

d. l. 11. D. eod.

MEMBRVM III.

MONSTRATVR, QVI DELICTI GRATIAM FACERE POSSINT.

Conspectus.

33. *Subiectum proprium Gratiæ eſſe ſummam Poteſtatem.*
34. *Huic & non alij Ius illud competere.*

35. *Id*

35. *Idq́ non inconvenientèr.*
36. *Et in ſpecie quidem olim Imperatoribus competiiſſe.*
37. *Item hodiè.*
38. *Errare illos qui Imperatori ſoli hoc Ius adſcribunt, cæteris Regibus & Principibus denegant.*
39. *Omninò autem Regibus competere.*
40. *Electorum maximam eſſe dignitatem.*
41. *Eoſq́ etiam poſſe delicti gratiam facere.*
42. *Necnon Duces, Marchiones, Landgravios, Principes, Comites & Barones Imperij.*
43. *Obiectionibus quibuſdam reſpondetur.*
44. *Competere item Civitatibus liberis Imperialibus.*
45. *Et Pactitiis: cum limitatione tamen.*
46. *Nullo verò modo Municipalibus propriè dictis.*
47. *Tranſitio ad eos, quibus Ius Gratiam faciendi non competit.*
48. *Non competere autem Nobilibus, Iudicibus, atq́ adeò omnibus Magiſtratibus inferioribus poteſtatē pœnas remittendi.*
49. *Sed nec capitales mutandi.*
50. *Niſi quando urgens cauſa hoc ſuadet, eo tamen caſu nō ex Gratiâ, ſed ex Æquitate eas remitti vel temperari.*
51. *Poſſe tamen & ex Gratia Nobiles & Magiſtratus inferiores pœnas condonare, primo ſi vi conſuetudinis, muneris, vel privilegii à Principe id conceſſum habeant.*
52. *Secundò poſſe eos condonare pœnas corporis afflictivas.*
53. *Tertiò civiles.*
54. *Clericorum non eſſe delictorum pœnas remittere.*
55. *Papam quidē habere enormem inſolentemq́ poteſtatē.*
56. *Falſam tamen. Nec quoq́ Canones Pontificios omni ex parte probos eſſe.*
57. *Non autem poſſe Papam, quâ talem gratiam delicti facere.*
58. *Cardinalium poteſtas & dignitas.*
59. *Eos hodiè de conſuetudine poſſe aggratiare.*
60. *Epiſcoporum poteſtas.*
61. *Hos, quâ tales, id iuris non*

habere

habere.

62. *Nec Abbates omnes, quâ tales: licet Abbates Maiores in quantum ſimul dignitate Principali gaudent, condonare crimina valeant.*

63. *Tandem non poſſe aggratiare Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, quâ tale, niſi certo tantum reſpectu.*

64. *Nullo autem modo Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ.*

XXXIII. Poſtulare nunc res videtur, ut Subjectũ Gratiæ aliquanto penitius ſcrutemur. Scilicet accidentium eſſe eſt ineſſe ſubjecto: quoniam autem quæque res per id, per quod eſt, cognoſcitur, apparet, & Gratiam per ſubjectum ſuum, ut quod Gratiæ dat eſſe, â nobis pernoſcendam eſſe. Sed tamen etiam ſi certi aliquid ſcire quàm fluctuare malimus, de ſubjecto adæquato & proprio nos ſollicitos eſſe oportebit, ut à quo accidentium eſſe ducitur, non communi, in quod per participationem influit, ac proinde accidentibus cognoſcendi principia ſuggerere nequit. Jam verò quando ſupra in definitione â nobis poſitum eſt, Summam Poteſtatem pœnam iure debitam remittere, ſciendum eſt, illam quoque ſolam ſubjectum Gratiæ adæquatum & propriũ conſtituere. Si qui alii reperiuntur, qui in juris hujus exercitio verſantur, non aliundè poteſtas illa, quam â Majeſtate, originem ſuam trahit; ut â quâ ipſis primo conceſſa eſt, & ad quam ultimo reduci debet.

Magnif. Lampadius de Republ. Rom. Germ. part. 3. c. 15 §. 2. & 3.

XXXIV. Et vero Supremæ Poteſtati in Republica facultatem competere delicti Gratiam faciendi, iam adeo certum eſt apud Ddres, ut neminem eſſe ipſi affirment, qui contra ſentire audeat. (a) Quod ſi enim concedimus, eum, qui

(a) *Proſp. Farinac. d. qu. 6. n. 2. & quos iſte adducit, Oddus Peruſ. tr. de Reſtit. in integr. lib. 2. qu. 92. art. 2. n. 12. Eman. Soarez. in Comm. Opin. verſ. Princeps. n. 157. Flam. Cartar. tractat. de Exſequ. ſent. c. 3. n. 57. ſeqq. & ibid. n. 64. ſeqq. Dn. Claſen. d. tr. c. 3. pag. 39.*

qui in civitate legum ferendarum poteſtate pollet, poſſe legibus latis derogare easque totas abrogare: (dictat autem ratio, ut id concedamus, *nec quisquam ſanæ mentis*, ait *AEneas Sylvius*, (b) *negabit, leges ab eo poſſe diſſolvi, â quo ſunt conditæ*:) eo ipſo quoq; largiri neceſſum habemus, Imperantibus licitum eſſe pœnas ex Gratia remittere. Nam notum eſt, ad ipſos ſpectare ius legislationis, ut quod inter præcipua Maieſtatis recenſetur. (c) Undè & *Bartolus* (d) in poteſtate illa ferendi leges *ſupremum maximumq́; gradũ meri imperii conſiſtere* docet. Sed nec aliis niſi illis candẽ Gratiã competere, haud difficile probatu eſt. Cùm enim iuxta plerorumque DDrum ſententiam indulgentia pœnæ inter Regalia referatur (e), ac ſymbolum & character Regiæ ſupremæque præeminentiæ ſit: (f) his vero ſoli gaudeant Principes, ſponte fluit, non aliis condonare crimina licere. Maximum quippe & illuſtre hoc ius eſt, adeo, ut Carolus V. Imperator, licet Mediolanenſi Senatui poteſtatem conceſſerit ferè Regiam, delictorum tamen veniam largiri aut literas ſalvi conductus criminum reis dare, ſingulatim exceperit. Certè Galliæ Reges nihil tam Regium eſſe arbitrantur, quam ſupplicio eripere damnatos. Unde cum Franciſcus Maior Francorum Rex matri poteſtatem feciſſet damnatos reſtituendi, Curia Pariſienſis Regem admonere decrevit, illud cum ſubditis ſine Maieſtatis deminutione communicari non poſſe: quo Senatus conſulto mater admo-

(b) *libr. de Ort. & Auth. Imper. Rom. c. 19.* (c) *Bodin. libr. 1. de Repub. c. 10. Beſold. claſſ. 1. diſput. polit. 3. th. 5. Hēning. Arniſ. de jur. Majeſt. l. 2. c. 3. n. 1. Bornit. de Majeſt c. 16. Ioh. Camman. Diſp. 4. th. 1. & 15. citant. Carpzov. d. loc. qu 150. n. 16.* (d) *ad l. Imperium n. 7. D. de juriſdict.* (e) *Proſp. Farinac. d. qu. 6. n. 2. per l. relegati. & l. ad beſtias. §. ex provincia. D. de pœn. l. 2. C. de bon. damn. Anton. Peregrin. de privil. fiſc. libr. 5. tit. 2. n. 1. & ſeqq. Anton Theſaur. Deciſ. 21. in pr. Petrus Heig. part. 2. qu. 22. n. 6. Beſold. ibid. th. 14. Bodin. ibid. Petrus Theodor. in Colleg. Crimin. diſp. 10. th. 7. lit. B. & alleg. Dn. Carpzov. d. loc. n. 14.* (f) *Receſſ. Imp. de A. 1529. §.* und wiewohl. *Cluten. Syllog. Rer. quotid. th. 8. lit. g. Octav. Cacheran. Deciſ. 101. Roland. â Valle Conſ. 4. n. 4. libr. 3. quos citat. Dan. Otto de Iur. public. c. 11. pag. m. 374.*

monita, jure ſibi conceſſo uti ſe nolle Senatui declaravit. Sed nec Reginæ quidem id concedi poſſe, *Bodinus* ſtatuit. (g) Tandem quoque admodum conſentaneum videtur, ut quorum Maieſtas principaliter per legis transgreſſionem offenſa eſt, illi ſoli culpam remittere poſſint. (h) Offenſio vero per violatam legem contracta neminem tangere poteſt, niſi cuius voluntas erat legem ſervari. Nunc autem cum mens hæc principaliter Summæ Poteſtatis fuerit, liquet, & eiuſdem eſſe offenſam reo condonare, eumque pœna liberare. Tamdiu enim delinquens obligatus manet, donec ſalvatur ab eo, qui obſtrictus mortalium nemini omnes ſibi obſtrictos ſub imperio continet.

(g) *d. loc. c. 8. & 10*

(h) *Proſp. Farinac. d. qu. 6. n. 2.*

XXXV. Manifeſtum adeò fit omnibus, quod Majeſtas ſola ignoſcere delictis valeat, & per hoc ſanctionibus in Republica derogare, aut eas etiam immutare. Neque hoc malè. Quandoquidem cui dominium in omnes Regni ſubditos datum eſt, eidem & inſtrumenta dominandi conceſſa eſſe debeant, Leges nempe & ſcita ſuperioris (i), abſque quibus nemo feliciter imperaturus eſt. Quâ de cauſa nonnulli neceſſarium eſſe cenſent, ut leges ſint in arbitrio Principis, perindè uti in gubernatoris poteſtate navis gubernacula: quæ certè inutilia forent, niſi ad omnem cœli faciem & opportunitatem moveri ac converti poſſent; quomodo Sextus Cæcilius dicere ſolebat: ne ſcilicet ipſa navis cum gubernatore prius naufragium patiatur, quàm vectores conſuli queant. Indè *Bodinus* (k) teſtis eſt, apud Gallos omnibus Edictis in fine ſubjectam eſſe hanc clauſulam: QUIA SIC NOBIS PLACUIT: quo ab omnibus intelligatur, Leges tametſi juſtas ab unius Regis voluntate pendere.

(i) *Arniſæus de Jur. Majeſt. libr. 1. c. 3.*

(k) *d. lib. 1. c. 8. de Republ.*

XXXVI. Ut autem juris hujus uſus hodiernus melius pateſcat, age ad paulò ſpecialiora nos demittamus. Principa-

cipalis hic de IMPERATORE noſtro occurrit quæſtio: an & hujus Gratia facinoroſos noxæ eximere poſſit? Sanè ſi de Seculis prioribus nobis ſermo eſſet, jam ſatis conſtaret, *quicquid Principi placuit, vigorem legis habuiſſe* (l), ut adeò ulteriori diſquiſitione haud opus fore videretur. Indè ab hâc pœnarum remiſſione quoque Imperatores *DIVOS* dictos eſſe, *Petrus Faber* (m) exiſtimat, & *Gerardus à Reneſſe* (n), hâc eâdẽ de re ſic loquitur: *Paſſim in iure civili legitur DIVORUM FRATRUM, qui ſummi fuerunt Principes ſummamq́; obtinuerunt poteſtatem.* Appellationem *DIVORUM habent ex antiquo ritu, quò illos qui Maieſtatem acceperunt DIVOS vocare conſueverunt, præcipuè quod illis competat facultas aggratiandi ſeu remittendi pœnam ex lege ſtricta debitam. Et quia nemo alius poteſt hoc facere, quàm qui Deus eſt in terris & maximi Dei Vicarius, hoc autem quando facit, Dei miſericordiam imitari videtur, indè ob imitationem divinæ clementiæ ex gratia peccatorem recipientis DIVI cognomento gaudet, cùm poteſtatem remittendi pœnam reo exercet: quò cognomine monetur, ne ſumma ſua dignitate ad crudelitatem abutatur, ſed miſericordem ſe potius, quàm crudelem præſtet.* Hæc ille; quamvis *Clariſſ. Limnæus,* (o) & forte melius, ideò *DIVI* vocabulum inventum putet, quod Imperatores poſt mortem nomen Dei acceperint, interque Deos translati crediti fuerint. Sed & multos Germanicos Imperatores, quamdiu hereditarium Imperium per ſucceſſionem delatum fuit, eandem cum antiquis illis Auguſtis poteſtatem exercuiſſe, nec ipſe iniquiſſimus aliàs Sacratiſſimæ Cæſareæ Majeſtatis hoſtis *Hippolitus à Lapide* (p) inficias ire poteſt. Fatetur namque tum demum, poſtquam Majeſtas Imperii, deficiente ſtirpe quæ ſucceſſorio jure eam ſibi vindicaret, ad Ordines delata fuit, illique per electionem novum Caput conſtituere judicaverunt, illimi-

tatam

(l) §. 6. *I. de I. N. G. & C. l. I. D. de conſtit. Princip.*

(m) *libr. 3. c. 16. Semeſtr.*

(n) *l. 3. ad Cod. LL. Hebræ. c. 2 tant Dn. Claſen. cap. 6.*

(o) *libr. 2. de Iur. Public. c. 6. n.* 13.

(p) *de Ration. Stat. part.* 1. *c.* 10. *ſect.* 2.

ratam hactenus poteſtatem Proceres pro lubitu coarctaſſe. Cùm enim in ipſorum arbitrio eſſet, Imperatorem eligere quemcunque vellent, eidem etiam leges, quaſcunque vellent, præſcripſiſſe. Ex hinc ergo aliquis in dubium vocare poſſet, num & hodiè ius aggratiandi (liceat enim uſitato, quamvis barbaro, vocabulo uti:) in Imperatorum perſona locum ſibi vendicet? *Qui jura*, inquit modò laudatus *Dn. Limnæus*, (q) *civilia tractant, multa de ſupremi Principis poteſtate conſignant, quæ ab aliis indiſtinctim puerili lapſu Imperatori noſtro attribuuntur. Quaſi verò noſtri Status leges fundamentales multis in articulis poteſtati Imperatoriæ arctiores non præſcripſiſſent fines, nec alios, ab antiquis differentes, poſuiſſent terminos. Planè multa ex illis, quæ olim eius arbitrio relicta, hodiè non niſi aſſenſu & adprobatione Statuum conficere potis eſt.* Ita ille.

XXXVII. Verùm nihil magnopere nos movere poteſt ad dicendũ, quod hodiernis Imperatoribus delicta condonare non ſit licitum. Firmiter enim tenendum eſt, omnia imperandi Jura Cæſari competere, quæ legibus Imperialibus comprehenſa Electores ſibi & Statibus cum Cæſare non fecerunt communia, aut ſi quæ Cæſar in ordinatione Camerali Decretisque Imperii ſuâ ſponte non remiſit. (r) Siquidem Capitulatio, cùm ſit ſtricti juris, ultra articulos in ea expreſſos poteſtatem illius coërcere non poteſt. (s) Nuſpiam verò reperitur, aut quod Status quoad conceſſionem Gratiæ Imperatoris poteſtatem limitaverint, aut ipſe etiam hoc ſe Jure abdicaverit. Ergo in proclivi eſt, idem adhuc Jus Cæſareæ Majeſtatis ratione totius Imperii proprium eſſe. Adhæc cùm ſuprema Imperii Juriſdictio adhùc ejuſdem ſit (t), adeò quidem, ut omnium Imperii Principum ſententiæ ipſi ſubjaceant (u), diſerteque Cæſari injungatur, ut

(q) *Jur. public. libr. 2. c. 9. n. 1.*

(r) *Jac. Lampad de Republ. Romano-Germ. part. 3. c. 16. §. 1.*

(s) *Claſen. d. tract. c. 6. pag. 68. & Diſp. ſua inaugural. qu. 2. p. 6.* (t) *Lampad. d. loc. & §§. ſeqq.* (u) *Id. d. part. 3. c. 3. §. 13.*

maximis minimis Jus æqualiter adminiſtret (x), facile diſpectu eſt; cum adhuc pœnam jure debitam remittendi facultatem habere. Statuunt (y) tamen, quod leges Imperii fundamentales, in Comitiis ordinum conſenſu latas, attinet; ipſi licitum haud eſſe earum pœnas pro lubitu augere, minuere ac condonare, abſque reliquorum Statuum, aut partis læſæ conſenſu, ut in bannitis videre liceat: quod ſuo loco relinquimus.

XXXIIX. Falluntur autem graviter opinione ſua, qui jus illud ſoli Imperatori Romano ex eo adſcribere videntur, quia ſoli illi Regalia competere, cœteroſque Reges ac Principes ipſi de jure ſubjectos eſſe contendunt. Et quamvis inter illos *Ioachimus Clutenius* (z) in eo ſe fundare velit, quod Reſpublicæ ab ipſo enarratæ olim Imperio Romano paruerint, vereor tamen ne exindè, quod vult, probare nequeat. Poſteaquam enim vel ex pacto, vel indultu ſingulari Cæſarum, vel præſcriptione etiam aut alio quopiam modo ab obſequii nexu ſolutæ fuêre, quis jura Majeſtatica, quæ ſolutam poteſtatem neceſſariò ſequuntur, eis denegare audeat? Sed & licet vi nonnullæ in libertatem ſeſe rurſus vindicaverint, non adeò improbari illud poterit. Fecerant pejora pridem Romani, ut qui *regnandi libidine domi militiæq; intenti, amicos pariter & inimicos ſubegerant* (a). Certè Mithridates ad Arſacem ſcripſit: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, unam & eam veterem cauſam bellandi eſſe, cupidinem profundam Imperij & divitiarum* (b). *Non igitur*, inquit vir doctiſſimus *Iacobus Lampadius* (c), *ſi æqui eſſe volumus, neq; nobis ipſis blandiri, eodem iure & acquiſitas & amiſſas eſſe Provincias, tantopere indignemur*. Vid. *Magnif. Dn. D. Conring. diſſert. de Imper. Romano-Germ. th. 13. ſeqq. & 18. ſeqq.*

XXXIX. Statuendum ergo eſt, REGIBUS in ſuis Regnis, ut cœtera Jura Regalia, ita & Jus Gratiam delicti

faci-

(x) *Capitul. Matth. art. 37. & Ferdinand. Cæſarū.*

(y) *Reinhold. Meier. d. diſſert. de Remiſſ. pœnar. th. 65.*

(z) *in Syllog. rerum quotid. n. 9. & ſeqq.*

(a) *Saluſtius.*

(b) *Idem Hiſtor. libr. 4.*

(c) *d. loc. c. ult. §. 22.*

faciendi competere. Quippe Maieſtatem habent, cujus præcipua ferè pars legum ferendarum poteſtas eſſe putatur. Hâc verò qui gaudet, cum etiam rigori legum pro lubitu detrahere poſſe, in confeſſo eſt. Ne dicam, quod nonnulli ſcribunt, Reges non recognoſcentes ſuperiorem, majori plenitudine poteſtatis uti in Regnis ſuis, quàm Imperatorem in Imperio. (d) Eorum enim poteſtatem nullis ſæpè capitibus reſtringi ac limitari (e). Sic Galliarum Rex capitalis delicti veniam indulget, in tantum, ut nec Ducalis Juridicus ne notionem quidem diplomaticæ gratiæ adhibere poſſit. (f). Rex Hiſpaniæ quin idem poſſit, non eſt cur quis ambigat: *omnis namq; ſummus Magiſtratus*, uti *Lopez* ait, *vinculis legum ſolutus eſt, & de ipſis legibus diſpenſare poteſt, quò rei ex accuſatione commiſſorum delictorum ob miſericordiam & clementiam Regum veniam & abſolutionem à pœna impetrent.* De reliquis Regibus non diverſum ſentimus, excepto ſi fortaſſe quidam tempore Coronationis in quædam legum capita, quibus etiam hæc poteſtas frenetur, jurare cogantur.

XL. Redimus ad Imperium noſtrum, & in illo ſummos poſt Imperatorem Principes, ELECTORES ſcilicet. Maxima horum eſt dignitas, quâ cum iure creandi Cæſarem, Regiam planè poteſtatem obtinent. Sunt enim, quorum humeris Imperii celſitudo committitur, quorumque ex germine quaſi, decedente Imperatore, Aquila, quæ umbra alarum ſuarum Occidentem tegit, producitur (g). Elogia quibus ornantur, maxima in Aureâ Bullâ paſſim legi poſſunt. Vocantur ibi â Carolo Imp. *Propinquiora Sacri Imperii membra*, (h), *ſolidæ baſes Imperii*, & *Columnæ immobiles* (i). Alicubi (k) de iis ita loquitur: *Decor & gloria*

(d) *Matth. Stephan. de Iuriſdict. libr. 2. part. 1. c. 2. n. 9.* (e) *Cla. d. loc. pag. 70.* (f) *Knich. de Saxon. non prov. iur. c. 5. n. 465.* (g) *Arn. ad A. B. c. 6. Auctor anonym. de Stat. Polit. ſeu Civil. libr. 4. diſc. 34* (h) *Tit. 2. §. Et quia.* (i) *Tit. 12. in pr. Tit. 24. in fine. Barbat. in Tr. de Præſtant. Cardinal. in 1. qu. 1. n. 4. & 47. ubi eos etiam Principales Imperii Columnas vocat.* (k) *Tit. 3. in pr.*

ria Sacroſancti Romani Imperii, & honor Cæſareus, & Reipublica grata compendia, Venerabilium & Illuſtrium Principum Electorum concordi voluntate foventur, qui velut columnæ proceres Sacrum ædificium circumſpectæ prudentiæ ſolerti pietate ſuſtentant, quorum præſidio dextra Imperialis potentiæ roboratur. Et quanto mutui favoris ampliori benignitate ſtringuntur, tanto uberioris pacis & tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo Chriſtiano.* Idem etiam Imperator ait(l), *dignum eſſe, & cunctorum ſapientum iudicio cenſeri expediens, quod Electores Principes, ipſius Imperii columnæ & latera, diverſorum idiomatum, & linguarum differentiis inſtruantur:* cauſam addit, *ut plures intelligant, & intelligantur à pluribus, qui plurimorum neceſſitatibus relevandis, Cæſareæ ſublimitati aſſiſtant, in partem ſolicitudinis conſtituti.* Imò dicit ibidem Carolus (m), *ipſos partem corporis ſui eſſe.* Aliàs comparantur (n) Præfectis Prætorio, ſicuti reliqui Principes & Comites Præſidibus Provinciarum. Cumprimis verò illorum dignitas fit conſpicua ex Decreto illo Cæſareo dat. 27. Julii A. 1590. in quo ſequentia verba perſcripta ſe vidiſſe teſtatur *Henricus Brunningus* (o): Daß der ChurFürſten Hoheit und Authorität mit eines Römiſchen Käyſers Gewalt und Hoheit / daher ſie auch fleuſt / dermaſſen verbunden / daß eine ohne die ander nicht verſchmälert werden / auch ohne die ander nicht beſtehen kan / Ja daß die höheſte Würde der ChurFürſten / damit ſie für andern Königen und Potentaten gezieret / eben dieſe iſt / daß ſie einen Römiſchen Kayſer / deſſen Hoheit/Authorität und Gewalt alle andere übertrifft / von der auch alle andere herfleuſt / zuwehlen haben.

XLI. Oportet igitur fateri, quod & hi delinquentibus debitam pœnam remittere poſſint. Vi enim Superio-

perio=

(l) *Tit. ult. A.B. in pr.*

(m) *Tit. 24. in pr. plura videantur ap. Petr. Heig. tot. qu. 4. & alios.*

(n) *à Bocero 3. de Regal. n. 212. Vid. Otto Meland. in comm. Camer. p. 2. pag. 428. Matth. Stephan. de Iuriſd. libr. 2. part. 1. cap. 5. in fin. Dan. Otto de Iur. Publ. cap. 10. pag. m. 222. ſeqq.*

(o) *Diſſert. de var. Univerſ. ſpecieb. concl. 10.*

perioritatis Territorialis Regalia (p), & inter illa, quod non poſtremo loco numerandum, Jus aggratiandi obtinent. Neque eſt, ut quis opponat, Electores Regalia habere non poſſe, cùm Maieſtate careant, eá verò Maieſtatem comitentur. Nam non procedit negativè hæc argumentatio, licet affirmativè verum ſit, omnem qui Maieſtate pollet, & Regalia poſſidere. Scilicet nihil prohibet, quominus hæc jura, quibuſdam ſaltim exceptis, quæ Reſervata Imperatoris & merè Regalia vocantur, etiam Imperij Statibus communicari queant; uti omninò actu illis conceſſa reperiuntur. Deindè verò non negamus quidem, ut omnes Imperii Status, ita Electores quoque in conſtituendo Jure Provinciali ac Municipali nihil juris habere, niſi id privilegio ſpeciali vel ab univerſa Republica, vel loco ejus à Cæſare ſit conceſſum (q). Sed tamen etiam manifeſtum eſt, Electores Palatinum, Saxonicum, & Brandeburgicum Conſtitutiones Provinciales etiam Juri Communi contrarias, abſque confirmatione Cæſarea facere, ac pro arbitrio iterum abrogare (r). Quæ certè circa leges verſandi licentia non obſcurè demonſtrat facultatem diſpenſandi de ſtatutis, reumque ex cauſa abſolvendi ab illa pœna, quam vindicandis criminibus ante definiverant.

XLII. Idem de DUCIBUS, MARCHIONIBUS, LANDGRAVIIS, PRINCIPIBUS, COMITIBUS & BARONIBUS Imperii ſentiendum erit, in quibus rationum paritas idem permittit. Nam plerique illorum Superioritate Territoriali gaudent, quæ certum terræ diſtrictum certamve regionem cum dominio & juriſdictione involvit, ut is cui territorium ejuſmodi conceſſum eſt, in eo plenum ius terrendi habeat. Nec enim hoſtium tantum reſpectu hoc habebit, ut quos fugare poterit, modò formam præſcri-

F 3 ptam

(p) *Capitul. Caroli V. art. 4. Ferdin. I. art. 3. Rudolphi II. art. 3. Matthiæ art. 3. Ferdinand. II. III. IV. & Leopoldi Impp. art. 3. Dn. Carpzov. part. 3. qu. 150. n. 19. & authores ibi allegati.*

(q) *Tob. Paurm. de Juriſdict. libr. 1. c. 6. num. 11. Ludolph Schrader. tr. de Feud. part. 4. c. 1. n. 4.*

(r) *Paurmeiſt. ibid. Dn. Claſen. ibid. pag. 75.*

ptam (s) rectè obſervet; verùm intuitu ſubditorum quoque, mulitando & puniendo ſi delinquant. Indè Territorium dicunt eſſe terræ ſpatium armatum, & iuriſdictione munitũ: ut, quàm latè ſe extendit ſpatium terræ, tàm latè ſe quoq; extendat dominium; & ideò quicquid ſub ambitu Territorii continetur, id Superioritati Territoriali eiuſque domino ſubeſſe credatur (t). Deſcribit autem Superioritatem Territorialem *Clariſſ. Limnæus* (u) quod ſit *poteſtas ſeu ius ſummi poſt Imperatorem Imperii eiq; connexorum Regalium, in omnes territorio ſubditos ſupremi è conceſſione* Principis *quaſitum, aut uſu longævo obtentum.* Quanquam verò Jus Superioritatis & Regalia ab invicem differant; cùm & Civitates quaſdam, de quibus illa negatur, hæc ultima habentes reperire liceat; (x) atque Superioritate Territoriali data etiam Regalia, non vero contra, conceſſa eſſe intelligantur: (y) attamen hodiè ex uſu Germaniæ iſthæc permiſceri Ddribus (z) obſervatum eſt. E quibus facile erit iudicium de perſonis ſupra enarratis, earumque poteſtate circa pœnarum remiſſionem. Scilicet ex Superioritate Territoriali & competente Regalium iure, ſpontè etiam facultas veniam impertiendi promanat. Nempe nihil exemtum cenſetur, niſi quod ad Reſervata Imperatoria ſpectat, inter quæ tamen Indulgentia Veniabs non numeratur. Sed & quia ius condendi leges Provinciales conceſſum tenent, diſpenſationem de iis legibus ad alios non ſpectare manifeſtum eſt.

XLIII. Contra dicta opponi poſſit, quod ea quidem valeant de Legibus ab ipſo Principe latis; haud verò de cœteris conſtitutionibus pœnalibus, ut quas ipſe non condiderit, ſed â ſuperiore conditas receperit. Cui reponendũ videtur

(s) *Receſſ. Imper. de A. 1525, A. 1548, & A. 1555.* (t) *Bald. ad rubr. 2. F. 56.* *Quæ ſint Regalia.* *Boër. deciſ. 227. n. 7. Bertrand. Volum. 1 conſil. 49 Schurff. Cent. 1. conſil. 26 Paurm. l. 2. de Iuriſd. c. 8. n. 9. Matth. Stephan. de Iuriſd. l. 1. c. 36. n. 3.*

(u) *libr. 4. de Iur. Publ. cap. 8. n. 183.* (x) *Cravetta Conſil. 973. n. 15. Surdus deciſ. 288. cit. Dn. Claſen. cap. 7. pag. 77.* (y) *Borcholt. ad 2. F. 56. n. 20.* (z) *Stephan. libr. 2. part. 1. c. 7. n. 2?. Dn. Carpzov. d. qu. 150. n. 20. Dn. Claſen. d. loc. c. 7. pag. 77. & 78.*

tur ab omnibus concedi, quod Principibus vi jurium territorialium data ſit libertas ferendi leges provinciales, quibus obligentur ſubditi. Quod ſi autẽ Imperatorũ ſancita è libera facultate vel expreſſè recipiant, vel patiantur etiam eorum tenorem in judiciis ſuis valere, non aliter illa habenda erunt, ac ſi ab ipſis Principibus eſſent promulgata. Quas enim leges cui removere, aliasque ſubſtituere licet, eaſdem adhuc magis eum retinere poſſe, veroſimile eſt. Nec quicquam valet illa objectio; quia leges Imperatorum dicuntur publicæ, ideô & Principes ad eas ſervandas obligari. Nam id nominis tantum â cauſa efficiente habent, publica ſcilicet Imperatoris perſona; non ratione objecti, ut quæ non concernunt fundamentalem Imperii adminiſtrationem: quapropter etiam pars ſunt juris privati. Quid ergo impediet, quo minus Principes, ut dixi, ob territorialem excelſitatem, eas vel recipere, vel ſurrogare novas queant? Alii hoc adferunt, quod Status, ut Magiſtratus inferiores, ob limitatam ſuam poteſtatem non poſſint veniam delinquentibus dare; ſed teneantur ſtrictè ſecundum leges ſe gerere, ac pœnam in illis determinatam irrogare. Illi verò conſiderent, quod Status Imperii non adeò benè nec in omnibus cum Magiſtratibus conferri poſſint. Si illa demas, quæ Cæſarea Majeſtas peculiariter ſibi reſervavit, quoad cætera Majeſtatem ferè, non Magiſtratum, in ditionibus ſuis repræſentabunt. Etenim quæ aliàs in Comitiis quoad totum Imperium ſtatuuntur, ea Principes in Provinciis ſuis liberrima poteſtate adminiſtrant. Verum enim eſt, tantum poſſe Principem in territorio ſuo, quantum Comitia (non quantum Cæſar) in univerſo Imperio. Exindè eorum circa leges licentia, & Gratiæ faciendæ facultas elucefcit. Ut tamen circa leges, quæ privatorum uſum reſpiciunt, easque quæ ſalutem Imperii concernunt, diſtinctio adhibenda ſit. Non perindè circa has atque illas libere verſari poterunt; quippe quæ cum omni-

Videatur tamen Excell. Dn. Strauch. Diſſert. Academ. 3. de Statut. â ſummo Principe th. 6.

Doctiſſ. Lampadius d. loc. c. 3. §. 18. & ſeqq.

omnium conſenſu latæ, omnes quoque Imperii cives obli-
c. 21. de gant. Valeat namque hic illud: *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* Urgent & hoc aliqui, Imperatori
Reg. Iur.
in VIto. gubernationem totius Imperii commiſſam eſſe, ad quam etiam Juſtitiæ adminiſtratio ſpectat. Hæc vero cum ad Status ipſos ſe extendat, ut quos pro gravitate admiſſi banno ſeculari ferire, quos feudis exuere valet, nihil illis circa reddendi juris poteſtatem reliquum manere. Næ vero illi admodum falluntur, qui animadvertere non poſſunt, commiti Cæſari Imperium gubernandum, ſed ita, ut nihil quicquam Jura Statuum immutentur aut imminuantur: prout clariſſimè è *Capitulationibus Impp. Ferdinandi III, IV, & Leopoldi A.* (cujus regimen divinum Numen omnigena
Vid. Dn. felicitate beet!) *articul. 3.* apparet. Cætera, quæ hic afferri
Claſen. d. ſolent, non merentur adſcribi, ac è ſuperioribus facilem re-
cap. 7. ſponſionem accipiunt.

XLIV. Vertimus nos ad CIVITATES, ac quidem
(a) *libr.* IMPERIALES ſive Liberas. Deſcribit has *Paurmeiſterus*
2. de Iu- (a) quod ſint *communitates directò Imperio parentes, jus ſeſſu-*
riſd. cap. *ræ & ſuffragiorum in Comitiis obtinentes.* Eadem vero ratione
ult. n. 13. de iis concludimus, quod omninò Gratiam delicti facere
(b) *Paur-* valeant. Cum enim Status ſint Imperii ac jus ſeſſionis ſuf-
meiſt. fragiiq; habeant (b), cum Superioritate Territoriali (c), cum
d. loc. n. jure Regalium (d), cum poteſtate legum ferendarum gau-
13. & 14. deant (e), quis ipſis jus noſtrum aggratiandi denegare velit?
Lampad. Ac quamvis *Knichenius* laboret, ut poteſtatē territorialem
eod. loc. eis adimat, ideò quòd in ipſas non cadat jus, quod nomine
c. 8 §. 11. Landes=

(c) *Gail. 2. obſerv. 57. n. 7. & libr. de Arreſt. c. c. n. 1. Dn. Claſen. d. loc. c. 8.* (d) *Gail. dict. locis, & libr. 1. de Pace Publ. c. 6. n. 11. Pruckman. de Regal. ad rubr. c. 4. n. 38. Sixtin. libr. 1. c. 4. de Regal. Scipio Gentil. l. 3. c. 22. de Iuriſd. Bocerus c. 8. n. 81. de Iuriſdict. Bertram. de Comit. Imper. n. 48. Klock. concl. 5. n. 10. de contrib. citati à Dn. Claſen. d. loc. c. 8. p. 90. Stephan libr. 2. part. 1. c. 2. n. 36. Carpz. d. qu. 150. n. 19. cum auctoribus alleg.* (e) *Mævius Iur. Lubecc. p. 1. q. 1. Dn. Strauch. d. loc. th. 7. & Dd. paſſim.*

Landsfürſtlichen Obrigkeit venit, ſatis tamen ei dudum factum eſſe ab aliis, ut à *Reinkingio*, *Limnao* & *Schitzio*, *Excellentiſſ. Stranchium* teſtatur (f). Alii etiam contra *Matthiam Stephani* (g) rectè obſervant, quod titulo ſaltem, non reipſa differat die hohe Lands-Fürſtliche Obrigkeit/ von der hohen Lands-Obrigkeit; (h) nec omnino opus ſit diſtinctione illa inter Jura territorialia ratione ipſius Territorii ſeu diſtrictûs, & ratione perſonarum de illo inveſtitarum conſiderata: quod cuique ignotum eſſe nequeat, civitates liberas ob poſſeſſionem Jurium territorialium non inde fieri Principes, aut Principum Jura perſonalia conſequi: licet ſufficiat, illas ea omnia poſſe in Territorio ſuo, quæ Princeps in Principatu & Comes in Comitatu ſuo poſſunt. (i) Sed nec diutius hiſce immorandum, cum hujus loci non ſit ea perquirere, ac plenior omnium cognitio hauriri poſſit ex eorum libris, qui Jura publica pertractant.

XLV. CIVITATES MUNICIPALES quod ſpectat, in duplici differentia veniunt. Quædam ex illis ſunt Municipales propriè dictæ, ſive Provinciales; quædam verò Pactitiæ & Conditionatæ dicuntur, quas aliqui etiam Mixtas vocant. Illæ ſunt, quæ totæ Principibus aliiſve territoriorum dominis ſubiiciuntur (k), Germanicè nominantur Land- oder Fürſten Städte (l), & reſpectu Imperii noſtri Mediatæ, quoniam immediatè Statibus parent, mediatè verò ſive per Status Imperatori & Imperio ſunt ſubjectæ. Pactitias Civitates appellant, quæ certis pactis aut conditionibus Principi alicui ſe obſtrinxerunt, multa tamen ex illis Privilegiis & Regalibus, quibus olim vel ut Civitates Imperiales fulſerunt, vel indultu peculiari Imperatorum aut præſcriptione etiam auctæ fuerunt, adhuc retinent. (m) Tales igitur ſunt cenſendæ ſubditæ eatenus

(f) *d. th. 7.*
(g) *de Jurisd. libr. 2. part. 2. c. 1. n. 63. ſeqq.*
(h) *Reinhold. Meier. d. differt. de remiſſ. pænar. th. 67.*
(i) *Dn. Claſen. d. c. 8. p. 88. Gail. Locc. ſup. præcitatis.*
(k) *R. I. de A. 1544.* §. die Frey- und Reichs-Städte.

G

(l) *Paurmeiſt. lib. 2. c. ult. n. 9.* (m) *Sixtin. lib. 1. de Regal. c. 4. n. 84. Stephan. ibid libr. 2. part 2. cap. 2. num. 1. Mart. Mager. c. 6. n. 168. de Adv. armat.*

nus

nus, quatenus per pacta ipſæ ſeſe ſubjecerunt: quoad cœtera omninò dicendum eſt, eas priſtina ſua libertate gaudere. (n) Undè ad Pactitiam civitatem duo requiruntur: primum eſt, ut ante conventionem illam vel in totum, vel ex parte, & quidem reſpectu earum rerum, in quibus ſe ſubmittit, ſit libera. Qui enim putant, ſufficere, ut reſpectu ejus Principis, cui ſe ſubjicit, libertatem habeat, illi tacitè per hoc rebellionem probare videntur. Quod ſi enim jam ante alteri alicui jure, ſeu per pacta priora paret ejuſmodi civitas, certè nullum amplius jus habet, quod pactis poſterioribus, ut prioribus illis contrariis, & hinc illicitis, ad aliquem transferat. (o) Ita v. gr. Civitas quæ Regi Galliæ paret, reſpectu ad Regem Hiſpaniæ habito libera eſt; nullo enim iure ipſi obligatur. Si autem illa pactis quibuſdam ſe Hiſpano vellet ſubjicere, injuſtè hoc fieret, ac proindè ſubmiſſio talis eſſet illicita. Alterum ad Pactitiam Civitatem requiſitum eſt, ut quoad certa tantum capita Principi novo ſubjiciatur, in cœteris verò priſtina iura illibata retineat. E quibus patet, quod Civitatis eiuſmodi libertas aliqua ratione quidem minuatur; ſed tamen tota non tollatur. Cæterùm quâ materiam noſtram de his Urbibus Pactitiis Ddrum ſententiæ differunt. Quidam illorum ex eo ius Gratiæ ipſis denegant, quod licet in Civilibus & quoad Proceſſus ordinem poſſint aliquid ſtatuere, ius tamen ſanciendi leges pœnales haud habeant; ipſæ potius Jure præſcripto teneantur. Sed & quoniam ſubiectæ ſunt ſuperioris poteſtati, eas non aggratiare poſſe: nihil obſtante pactione, quippe quæ tale ius liberè vindicandi delictum aut remittendi pœnam legibus debitam tribuere neutiquam poſſit. Nos ad illos tranſimus, qui cautius hic in pronunciando ſe gerunt. Sanè enim inſpiciendæ ſunt literæ pactorum, quid in iis contineatur, quibusve de rebus conventum fuerit. Quod ſi per pactiones cum

(n) *Gylman. Tom. 1. par. 1. tit. 2. Symphor. Dn Claſen, d. tr. c. 9.*

(o) *Videatur laudatus Hobbes cap. 2. art. 17.*

cum Principe initas jure ſtatuendi non exciderunt, nihil obſtabit, quominus Gratiam ſuam delinquentibus impertiant. Scilicet tamdiu pro libertate & jurium exercitio militat præſumtio, donec contrarium oſtendatur. Sin ex pactorum articulis appareat, ſoli Principi relictam eſſe facultatem leges ferendi & de illis diſpenſandi; nec civitates iſtæ facinoroſis noxam remittere poterunt. Deprehenſo igitur reo, aut legibus delictum vindicabunt, aut, ſi facti vel perſonæ circumſtantiæ mitigationem ſuadeant, ad arbitrium Principis negotium deferendum erit. Advertendum tamen etiam eſt, ut, ſi juſto præſcriptionis titulo Civitates illæ hoc jus ſibi acquiſitum habeant, dicamus, omninò eas pœna eximere reos poſſe. Quicquid enim Princeps ſcivit exerceri ab iis, quorum actus inhibere poterat, hoc ſi ulterius fieri permiſerit, tacitè in id conſenſiſſe credendus eſt. Benè *Panormitanus: Quomodo poteſt tacitus conſenſus melius probari, quàm ſi is, qui impedire & contradicere poteſt, non contradicit, ſed ſuæ poteſtati præiudicari ſinit? Eo ipſo, dum id permittit, faciens in poſſeſſione conſtituitur, & ex actibus poſſeſſoriis iteratis radicatum ſibi acquirit ius, quod quando tempus præſcriptionis in iure definitum elabitur, nullo modo revocabile eſt.*

XLVI. Municipalibus contra propriè dictis Civitatibus, ſeu Provincialibus, nulla ratione ignoſcere delinquentibus eſt licitum. Nempe cùm omni Jure Territoriali deſtituantur, nec Regalia obtineant, ideoque nec facultatem ſtatuendi habeant, nullis etiam legibus per Gratiam ſuam derogare poterunt. Ergo quia obſequii tantum gloria ipſis relicta eſt, præſcripta ſibi à Principe devoto obſequio amplecti, ac velut ordinarium Judicem decet, exequi tenentur. Quid quod quibuſdam Civitatibus Provincialibus nulla planè permiſſa ſint judicia criminalia, quæ ca-

pitis pœnam inferunt. Undè quædam facinoroſos per triduum quidem in carcere detinere poſſunt, elapſo autem iſto ſpatio cogunt ir vinctos Præfecto Principis tradere (p). Ac etiam ſi hodiè nonnullæ merum imperium emtione, donatione, privilegio, conſuetudine, præſcriptione aliove juſto titulo ſibi acquiſitum habeant, (quod ſanè fieri poteſt: (q)) tenentur tamen è legum præſcripto reis pœnam infligere; ac quæ Gratiam ſpectant (nam de Æquitate aliter ſentiendum, ut quam cum omnibus Judicibus ſeriò attendere debent:) cuncta Principis prudentiæ aut clementiæ committere. (r)

XLVII. Occaſione Civitatum Provincialium commodus dicendi locus ſe nobis offert de reliquis perſonis, quibus aut ſimpliciter, aut ratione certi cujuſdam reſpectus delicti Gratiam facere non licet. Haud verò multi laboris res eſt, de iis verum ferre iudicium. Una iſthæc Regula totum id negotium planum efficit: quod quibuſcunque poteſtas leges ferendi non competit, iidem quoque facultatem per Gratiam de illis diſpenſandi non habeant.

XLIIX. Hic ſe offerunt NOBILES, JUDICES, ac in genere omnes MAGISTRATUS INFERIORES, non niſi merum habentes imperium. de quibus apud Interpp. extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, eos ſuo arbitrio non poſſe pœnas remittere (s). Nam quamvis illis merum impe-

(p) *Dn. Claſen. d. cap. 9.*

(q) *Stephan. de iurisdict lib. 2. part. 2. cap. 2. n. 17. ſeqq.*

(r) *vide l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpill. l. 15. pr. D. ad municip.*

(s) *Petr. Heig. part. 2. qu. 22. n. 22. Iacob. de S. Georg. de Feud. verb. Princeps n. 8. Iacob. Menoch. de Arbitr. Iud. quæſt. libr. 1. quæſt. 92. AEgid. Boſſ. in Pract. tit. de Citat. n. 39. Chriſtoph. Beſold. claſſ. 1. diſput. polit. 3. th. 14. Anton. Fabr. in Codic. lib. 9. tit. 24. def. 8. Henric. Bocer. in tract. de Iurisd. c. 5. n. 65. & ſeqq. Iul. Clar. lib. 5. ſenteat. §. ult. qu. 60. verſ. pariter. & qu. 85. verſ. ulterius. citante Dn. Carpzov. d. quæſt. 150. n. 51. Proſp. Farinac. Prax. crim. lib. 1. tit 1. qu. 6. n. 2. & 10. ſeqq. Tiraquell. in præfat. tract. de Pœn. temp. aut remitt. num. 1. ſeqq.*

imperium, ac in foro Saxonico ſuperior & alta Juriſdictio competat, die Ober- und Blut-Gerichte; cùm tamen ius Gratiam concedendi inter Regalia referatur, prout ſupra *artic. 34.* oſtenſum eſt; illi verò nullis gaudeant Regalibus (t), facilè quis videt, quod nec illud ius ipſis exercere ſit permiſſum. Adhæc pœnas prò lubitu remittere eſt contra legem quid facere: liquet autem, hanc ſibi licentiam ſolos reſervaſſe ſummos Principes; ut qui ſoluti legibus (u) ſoluta quoque circa leges poteſtate pollent. Deindè ac ſi cum maximè velit Judex, poſteaquam tamen ſententiam ſemel dixit, amplius eam corrigere non poteſt (x). Imò corruptæ dicuntur ſententiæ eorum quando legibus ſunt mitiores (y). Indè & eadem pœna in eos ſtatuta reperitur, quâ delinquens ipſe affici debuit (z): & Carolus I. Siciliæ Rex perhibetur iuſſiſſe Judicem ſuſpendi, qui homicidam pœna manus tantum punierat. (a) Præterea etiam infamis efficitur Judex, qui nocentem liberat, & qui pœnam remittit, vel ſaltim minuit, bonorum amiſſione punitur, item exilio, vel quoque decem libris auri multatur: alibi etiam animadvertitur veluti in eum, qui crimen læſæ Maieſtatis commiſit. (b) Neque enim leviter intereſt Reipublicæ, Magiſtratuum Judicia legibus adſtricta manere: cum alias facile Judex (vide tamen *ſeqq. articc. 50, 51, 52 & 53.*) Æquitatem ſibi fingeret, ut leges impunè violaret. (c) Benè ergo *Papinianus* reſpondit: (d) *facti quidem quæſtionem in arbitrio eſſe iudicantis; pœnæ verò perſecutionem non eius voluntati mandari, ſed legis auctoritati reſervari.* Et *Baldus*: (e) *Si- bi: niſi ipſe idem pati velit, quod aliis diſſimulando conceſſerit.*

(t) *Dn. Carpz. d. q. 150. n. 51. cũ authoribus alleg.*
(u) *l. 31. D. de LL.*
(x) *l. 55. D. de re iudicat.*
(y) *Beſold. d. diſp. 1. th. 14.*
(z) *l. final. C. ne ſanctum baptiſm. iteret. i- cut lit*

(a) *Andr. Tiraquell. d. præfat. tract. de pœn. temper. aut remitt. n. 9. Proſp. Farinac. lib. 1. tit. 3. qu. 17. n. 6.* (b) *Tiraquell. ibid. n. 12. & ſeqq. Proſp. Farinac. cit. loc.* (c) *Petr. Heig. part. 2. qu. 22. num. 16.* (d) *l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpill. l. 15. pr. D. ad municip.* (e) *in l. 2. circ fin. C. de ſentent. ex peric. recit. citatu à Dn. Carpzov. ibid.*

cut Medicus, inquit, *debet mederi ſecundum canones artis; ita iudex ſecundum leges, nec eum excuſat inanis conſcientia, quia iniuriam facit legibus, quibus ſe meliorem vult videri.* Quod hic de Judicibus allatum eſt, promiſcuè de quibuslibet Magiſtratibus municipalibus, nec non Nobilibus propter rationis paritatem intelligendum venit. Indè cum Vaſallus quidam in Mediolanenſi Ducatu criminoſo alicui veniam delicti contuliſſet, idem nihilominus ob delictum ſuum ſuſpenſus fuit, cum Gratia collo annexa. (f) Apud Venetos quoque nullis omninò magiſtratibus, ac ne Duci quidem aut Senatûi, aut Decemviris ius eſt reſtituere damnatos, ſed ûnius maximi Conſilii arbitrio relictum, ut *Bodinus* adſerit.* Quin nec Duci Sabaudiæ licere aiunt (g) quempiam ſupplicio eximere, niſi vicaria Romani Imperii poteſtate fungatur, quæ & nominatim venialium codicillorum facultatem complectatur.

XLIX. Sed hæc forſan de remiſſione totali capienda fuerint. Plus vero dubii hæc habet quæſtio: Numne Magiſtratui inferiori merum tantum habenti imperium, pœnam mortis ordinariam in aliam quamvis commutare licitum eſſe poſſit? Et vero facile etiam probatu eſt, non licere ipſi mortis ſupplicium in pœnam mitiorem civilem, puta relegationem multamve pecuniariam convertere. quod in terris Electoratus Saxonici expeditum eſt: ibi enim clara hâc de re extat *Sanctio Auguſti Elector. Saxon. de A. 1555. ſub Rubr.* Das peinliche Sachen dadurch das Leben verwircket/ ohne unſere Bewilligung nicht bürglich gemacht werden ſollen etc. Sed incertum magis eſt, anne ſupplicium ſeverius, videlicet ignis, rotæ, ſuffocationis in aquis, aut ſuſpendii, in aliam mitiorem pœnam mortis convertere ſit conceſſum, ut reum ad aliquam è ſuperioribus condemnatum gladio ferire liceat? Sæpius ſanè de hoc Scabinis dubi-

tatum

(f) *AEgid. Boſſ. tit. de remed. ex ſola Clem. Princip. n. 51. & ex eo Proſp. Farinac. d. qu. 6. n. 2.*

* *d. l. 1. de Reſpubl. c.* 10.

(g) *Cacheran. deciſ. 131 Chopp. de Doman. Franc. lib. 2. tit. 7. num.* 11. *citât. Dn. Carpzov. ibid. n. 54.*

tatum, *Dn. Carpzovius* (h) teſtis eſt; placuiſſe tamen ſententiam negativam; nimirùm Nobiles aut Magiſtratus oppidanos, abſque ſpeciali conceſſione Superioris, reis etiam hanc Gratiam facere, ac pœnam mortis ſeveriorem in gladii ſupplicium immutare non poſſe. Non minus enim pœnæ capitalis mitigationem (ſcil. quæ fit ex Gratia) eſſe de Regalibus, ac totalem ejus remiſſionem; cum æquè per illam ac per hanc ab auctoritate legis jurisque ſanctione recedatur, quod certè facere inferiori Magiſtratui non ſit permiſſum. (i) Merentur hic adſcribi præclara iſthæc *Gloſſæ Saxonicæ* (k) verba: Ich ſage dir auch du Richter / legſtu einem überwundenen Mann einen andern Todt an / alß den / welchen ihme das Recht giebt / und zutheilt / ob er auch wohl darumb bittet / ſo biſtu an ſeinem Blut und an ſeiner Seelen ſchuldig. An ſeinem Blut biſtu ſchuldig / darumb / daß du ihn auß deinem ſelbſt eigenen Willen oder Rath tödteſt / und nicht durch das Urthel. Als ob ihm durch Urthel und Recht das Rad were zugetheilet worden / und du lieſſeſt ihm das Haupt abſchlagen / ob er wohl ſelbſt darumb gebeten hette / dann du haſt deſſen keine Gewalt / daß du GOttes Creatur tödten mögeſt / nach deinem Sinn / ſondern das Recht / das Gott geben hat / mag allein ſeine Creaturen tödten / und du nicht / etc.

L. Non tamen hæc ita accipi volumus, quaſi à Nobilibus, Judicibus aut aliis Magiſtratibus inferioribus nunquam pœnæ capitales remitti aut mitigari debeant. Sanè enim ſi magna & urgens ratio hoc poſtulet, quin rectè fieri poſſit, non ambigimus (l). Quod ſi enim ob ſufficientem cauſam, pro modo delicti, ut & pro qualitate vel conditione perſonæ delinquentis quævis temperari pœna poteſt, (m) quis

(h) *d. qu. 150. n. 58.*

(i) *d. l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpill. d. l. 15. D. ad municip. l. 14. C. de pæn.*

(k) *Gloſſ. German. in art. 69 lib. 1.* Sachſenſp. *num. 3.*

(l) *Vid. Dn. Carpzov. ib. n. 69.*

(m) *l 38. §. 9. l. 5. §. fin. D. de pæn. l. 37. D. de minorib. l. 1. §. ult. D. ad leg. Cornel. de falſ. l. 3. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. Tiraquell. d. loc. n. 16. ſeqq. Proſp. Farinac. eod. loc. qu. 17. n. 7. ſeqq.*

quis credere nolit, poſſe etiam ultimi ſupplicii pœnas alte- rari ac in leviores commutari? Neque per hoc dicetur Judex contra legem venire, vel ab ejus diſpoſitione recedere. Servabit potius legem, quæ ita vult ac diſponit per regulam illam, quod pœna ſit commenſuranda delicto (n). Quanquam omninò dicendum eſt, quod cum Magiſtratus ob ejuſmodi urgentem cauſam pœnas capitales mitigant, hoc illi non faciant ex Gratia, ſed ex Æquitate; quæ duo jam ſupra *artic. 32.* accuratè ab invicem diſtinximus. Etenim Gratia *debitam* ſive *promeritam* pœnam tollit vel mitigat: in tali autem caſu ſtantibus facti vel perſonæ circumſtantiis, quæ remiſſionem ſuadent, ſi gravior pœna imponeretur, *immerita* illa eſſet & injuſta. Sequitur ergo, ex Æquitate, rationem circumſtantiarum habente, nullam aliam niſi tam levem pœnam hic eſſe debitam, quæ in aliis delinquentibus forte intenſior eſſe poſſet. Quod in caſu aggratiationis longè aliter accidit, quippe ubi ſine hâc ſi fuiſſet, ſummo jure ſeverius animadverti potuiſſet. Ergo firmiter tenendum eſt, needum poſſe Judices aut Magiſtratus alios ex Gratia temperare pœnas capitales, ſed ex Æquitate tantum, ob ſingulares rerum perſonarumve circumſtantias, leviores ordinariis infligere. Quare quod laudatiſſ. *Dn. Carpzovius* (o), & ex eo *Reinholdus Meierus* (p) dicit, *exiſtente cauſa ad remiſſionem probabili, ſeviorem pœnam etiam ultimi ſupplicii, qualis eſt rotæ, culei, ignis &c. in mitiorem gladii pœnam à Magiſtratu merum habente imperium converti poſſe*; eatenus ſanè probamus, quatenus de Æquitate attendenda illi acceptum volunt, & tàm gravibus quidem cauſis, quæ recedere ex Æquitate ab or-

(n) *Proſp. Farinac. ibid. n. 8. & 9.*

(o) *d. qu. 150. n. 69. & qu. 142. n. 23. ubi in genere dicit, omnes hodiè pœnas juxta facti & perſonarum qualitates in arbitrio judicantis eſſe.*

(p) *d. diſſert. de remiſſ. pœn. th. 71.*

ab ordinaria pœna jubeant. Sin verò etiam de Gratia & levioribus cauſis, quæ tamen ad Gratiam impertiendam ſufficere poſſint, intelligant, cum ipſorum pace ab iis receſſum facimus. Firmiter enim ſtatuimus ob rationes *præcedentibus articc.* allatas, nemini jus aggratiandi competere, niſi qui vel Majeſtatem vel Regalia ſaltim habeat. Rationes quoque & auctoritates ab eodem *Dn. Carpzovio* (q) copioſè ſatis adductæ nihil contra nos probant. Si namque rectè expendantur, illud tantùm intendunt, poſſe aut debere Judicem pro diverſa qualitate rei & reatus Æquitatem in caſtigationibus obſervare: quod & nos lubentes largimur. Imò ipſe judicantium arbitrium reſtringit, dum ex Sanctione Carolina latiſſimè probat (r), Judices & Magiſtratus ad collegia JCtorum & Dicaſteria confugere, indeque conſilium petere debere: *necquicquam*, dicens, *arbitrii propriy in definiendis pœnis & judicandis cauſis criminalibus Magiſtratibus ac Iudicibus inferioribus relinquendum eſt*. De foro autē Saxonico ſperatim adducit (s), quod, *cùm ad veram cauſæ dijudicationem exacti judicii acumen requiratur, libero magiſtratus inferioris arbitrio neutiquam relinquendum ſit, an causam aliquam ad commutationem ejuſmodi ſufficientem exiſtimaverit, ne forſan ex perverſa animi libidine temerè leges contemnere iudici anſa & occaſio detur: ſed quod Electoralium Scabinorum ſententia deſuper imploranda, eaq́; poſtea executioni mandanda ſit.*

LI. Videntur tamen, quæ hactenus à nobis diſputata ſunt, triplicem exceptionē admittere. Hinc igitur *primò* ſtatuimus, poſſe Nobiles, Judices & Magiſtratus alios per Gratiam cujuslibet etiam generis pœnas remittere, ſi conſuetudo, vis muneris, vel ſpeciale aliquod privilegium hanc ipſis poteſtatē tribuerint. (t) Quis enim ambigat, quin Majeſtas, ſi quidem hoc ipſi placuerit, etiam jus ejuſcemodi in-

(q) *qu. 142. n. 20 & ſeqq.*

(r) *ibid. tota qu. 116.*

(s) *qu. 150. n. 7 ii vide etiam d. qu. 116. n. 24. & ſeqq.*

(t) *Reinhold. Meier. ibid. th. 70.*

dulgen-

d lgentiæ inferiori Magiſtratui concedere poſſit, cùm Regalia non rarò majora concedi videamus? Certè enim omnis Magiſtratuum poteſtas pro lubitu Summæ Poteſtatis modo major modo minor eſſe poteſt. Militibus quoq; fugitivis & jam ſuſpendendis à Belli Duce aliquando Gratiam fieri cernimus! quem tamen Majeſtatem habere nemo forſan aſſeruerit. Igitur, ſi nec alia ſpeciali conceſſione, ſola conſuetudine vel vi muneris id juris habeat neceſſe eſt.

LII. *Secunda* reſtrictio ex mente JCtiſſimi *Dn. Carpzovii* (u) hæc eſt, quod Magiſtratus in pœnis illis, quæ corpus quidem affligunt, mortem tamen non inferunt, libera diſpenſatione gaudeant. Unde exiſtimat, quod pœnam fuſtigationis in aliam mitiorem commutare valeant, propterea quod fuſtigatio æquè ac relegatio aut multa pecuniaria juxta *Bartolum*, *VVeſenbecium*, & *Reuſnerum* (x), pœna arbitraria ſit. In pœnis autem arbitrariis judicem alterutram eligere, & pro ratione circumſtantiarum majorem minoremve imponere poſſe, indubitatum eſt. (y) Monet tamen idem, ne ſi contingat fuſtigationem remitti, per nimiam clementiam reus planè impunitus dimittatur, ſed illa potius in nudam relegationem convertatur. *Licet enim non negem*, inquit (z), *in arbitrio Magiſtratus eſſe, pœnam corporalem vel in pecuniariam mulctam, vel etiam relegationis aut carceris pœnam commutare; rectius tamen faciet iudex, ſurrogando relegationem in locum fuſtigationis. Tum, ut veſtigium remaneat coërcitionis, aliiq́; exemplo alterius deterriti à delictis abſtineant, qui pœnarum fructus omnium maximus perhibetur. Tum, ne delinquens omnium oculis ſcandalum præbeat, quo Provinciam potius purgari, Reipublicæ commodum ſuadet.*

LIII. Juxta eundem (a) *tertiò* dicendum, quod Magiſtratuum Gratia in pœnis quoque civilibus, nimirum rele-

(u) *d. qu. 150. n. 75. & ſeqq.*

(x) *locc. apud eund. citat.*

(y) *per textus ibid. cit.*

(z) *d. loc. n. 81. & 82.*

(a) *n. 85. ſeqq.*

legatione, carcere & multâ, locum inveniat. Atque hæc omninò ita ſtatuendum eſt. Nam non debet, cui plus licet, quod minus eſt, non licere(b). Sicque magis adhùc pœnas civiles poterit remittere, cui de animadverſionibus corporis afflictivis diſpenſare permiſſum eſt. Quod etiam in praxi nullum habet dubium, cùm ut in Judiciis aliis, ita Academiis quoque à Senatu Academico ſtudioſis pœnam relegationis aut carceris ex Gratiâ in multam pecuniariam ſæpè converti videamus. Cavebunt tamen hic Magiſtratus, ne, quod in omnibus rebus perniciosum eſſe ſolet, SÆPIUS & TEMERE gratiam impertiant. *Nam non remitti pœnam facilè, publicè intereſt, ne ad maleficia temerè quiſquam proſiliat.* (c)

(b) *l. 21. de R. I.*

LIV. Recenſuimus hactenus, quibus inter Perſonas ſeculares jus Gratiam delinquentibus concedendi competat. Res nunc poſtulare videtur, ut quædam etiam de Clero, in quantum inſtituti ratio permittit, in medium adferamus. Dicuntur autem Clerici Perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ circa res ſacras & religionem occupatæ, populum docendo & ſacramenta ritè adminiſtrando, viam ad æternam beatitudinem monſtrant(d). Unde cognoſci poteſt, non eſſe hanc mundanam poteſtatem, ſeculi occupatam bonis; ſed poteſtatem ſpiritus: ut hinc firmiter etiam ſtatui debeat, nihil illis negotii eſſe cum civili pœnarum inflictione aut earundem aggratiatione. Quæcunque verò hodiè ab adverſariis longa quidem, ſed falſiſſima opinione profecta de utriusque gladii poteſtate proferuntur, non certè tanti ſunt ponderis, ut exindè in Sacerdotes, quâ tales, ullum jus ſeculare derivare liceat. Deſtrui poſſunt uno illo, ſed firmiſſimo argumento, quod Vir ſummus *Iacobus Lampadius* (e) proponit. Scilicet ad quod tantum miſſi ſunt diſcipuli Chriſti, illud ſolum eſt Apoſtolici & Eccleſiaſtici muneris. At

(c) *l. 14. C. de pœn. vid. l. 91. §. 1. D. de ſolut. & liberat. l. 9. §. 5. D. de publ. & vect. l. 51. §. 2. D. ad leg. Aquil. l. 70. §. ult. D. de fideiuſſ. l 27. §. 4. D. de pact. is*

(d) *Iacob Martini lib. 2. Polit. c. 24.* (e) *de Republ. Rom. Germ. part. 1. §. 26.*

qui

qui (niſi Chriſtus poſt reſurrectionem officium Eccleſiaſticum imperfectè determinavit) miſſi tantum ſunt ad prædicandum verbum, adminiſtranda ſacramenta, & exercendam clavium poteſtatem. Patet igitur, quæ Eccleſiaſtici muneris propria ſunt, omnia in hiſce conſiſtere. Quiſquamne verò detruncatè Chriſtum Apoſtolis munus injunxiſſe putabit? Hoc amplius etiam antiquitùs ad Clerum admitti vetabantur, qui poſt baptiſmum aut magiſtratus attigiſſent, aut munera bellica. (f) Sed nec jure Canonico probari videtur politica Perſonarum Eccleſiaſticarum Juriſdictio, ut patere poteſt ex *t. t. Extra. Ne Clerici vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant.* Ex quô fit, quod illis nec Judicia criminalia exercere liceat (g). Quippe jura Canonum pœnarum atrocitatem exhorrent, præcipuè quibus de ſanguine & vita hominis agitur, cùm Eccleſia gladium non habeat, niſi ſpiritualem; non occidat, ſed vivificet. (h) Deindè & hoc expeditum eſt, poteſtatem aggratiandi inferre diſpenſationem de legibus, quatenus pœnam in illis deſcriptam reo remittit. Non poteſt autem diſpenſatio illa extendere ſe ultra id, quod legibus illis definitum eſt. Indè cùm Jura Canonum, quæ Clericos eorumque ſubditos tùm quoad obedientiam, tùm quoad pœnam conſtringunt, capitale judicium de vita hominis non exerceant; nihil manifeſtius eſt, quàm Clericos jus remittendi pœnam capitalem non habere.

LV. Sed digna forſan eſt hæc conſideratio, quæ ſpecialius inſtituatur: præſertim cùm hodiè tàm multa in Clericis Romanis obſervare liceat, quæ nec in Servatore ipſo, nec Apoſtolorum ullo deprehendere fuit. Inter illos autem, velut Luna inter minora ſidera, P A P A micat: cujus poteſtas ab adulatoribus & ipſiſmet etiam Pontificibus adeò

(f) *Grot. de I. B. & P. lib. 1. c. 2. n. ult.*

(g) *c. Clericis. & c. ſententiam. X. d. tit.*

(h) *c. inter. 33. qu. 2 Henric. Zoeſ. ad Decretal. de Pœn. pag. 605. cit. Claſen. ibid. c. 10. pag. 99. ubi etiã adducit Ioſiam Ferron. l. 3. c. 9. pag. 401. de Clericat. Iurib. propr. & abuſivis.*

inſo-

inſolenter effertur, ut nec audiens talia rigidus aliquis Cato riſū tenere poſſit. Etenim dicitur omnibus cæteris eſſe ſuperior, & in omnes judiciū exercere (i), ac nihil prius decerni ab inferioribus vult, quàm cognoſcatur, quid ipſi placuerit (k); quandoquidem jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere (l), atque eum in finem caput & cardo Eccleſiarum omnium in Jure Canonico audit (m), Rector earum universalis, cuius ſedi omnia ſubiacent (n), cui tota quoq; Eccleſia parere debet, & de cujus Judicio nemini licet diſputare vel judicare (o): quia ejus judicium de vultu Dei prodit (p): & ideò ex injuſtitia facit juſtitiam (q), poteſtque ſecundùm plenitudinem poteſtatis ſuæ de jure ſupra jus diſpenſare (r); & de Pontifice benè dici poſſe traditur, quod omnia poſſit ut Deus, excepto peccato: Petri enim eſſe ſuccesſorem & Vicarium JeſuChriſti, non puri hominis vicem, ſed veri Dei in terris gerere (s), omnia diſponere prout ſibi placet, nec habere ſuperiorem; ſed omnes ſibi ſubjectos: habere cœleſte arbitrium ac poteſtatem infinitam, & eſſe ſupra omnia & contra omnia; nec eſſe, qui dicat ei, cur ita facis? (t)

LVI. Enormis autem iſtius ac prorſus inſolentis poteſtatis quis titulus ſive cauſa exſtet, hujus quidem loci non eſt diſputare. Sive enim Imperatorum Regumque amor, quem divinitatem habere, nec cœli modò fores aperire, ſed & ſi collibeat effringere, Deosque ludos facere, ac delitias Regesque Regno exuere & privare poſſe ait *Stephanus For-*

(i) *c. qui ſe ſcit. 2. qu. 6.* (k) *c. multū. 3. qu. 6.* (l) *c. licet. de Conſtitutiòn. in 6.* (m) *c. ſacroſancta. diſtinct. 22. c. rogamus. 24. qu. 1. c. fundamenta. de electiòn. in 6.* (n) *c. aliorum. 9. qu. 3.* (o) *c. nemini, 17.*

qu. 4. c. Apoſtolica. 35. qu. 9. c. cuncta per mundum. 9. qu. 3. (p) *c. ut noſtrū. X. ut Eccleſiaſt. benef. ut noſtrum. X. de Appellat.* (q) *Baldus ad c. non debet. X. de Conſangu. & Affin.* (r) *c. propoſuit. X. de conceſſ. præbend. Georgius ſayrus in Clav. Regal. 3. c. 10. n. 10. Pinell. in rubr. C. de reſcind. vendit. c. 1. n. 6. Barboſa lib. 1. c. 2. n. 120. p. 46. de Iure Eccleſ. citante Claſen. ibid. c. 10.* (s) *c. quanto. X. de translat. Epiſc.* (t) *Paurm. de Iuriſd. libr. 2. c. 3. n. 2. & ſeqq. ex Socino Conſil. 164. num. 4. in f. & ſeq. num. 2. & Petro Anton. de Petra in tract. de iure quæſit. per princip ē non tollend. c. 3. qu. 4. n. 8. & aliis.*

catulus; (u) ſive opinio hominum, quâ potiſſimum conſtare auctoritatem Pontificiam Jovius ſcripſit (x); ſive hereditas, quâ Petro in Vicaria à Chriſto per claves data poteſtate, & curâ ovium demandata, probante hoc *Bellarmino* (y) ſuccedit; ſive denique aliud aliquid putativi illius Juris & poteſtatis cauſa ſtatuatur, perindè nobis eſt. Sufficiat namque hic dixiſſe, quod quamvis nos, qui Auguſtanam Confeſſionem amplectimur, Papam pro ſummo inter Epiſcopos habeamus (z), Illi tamen tantam poteſtatem nullatenus aſſignare poſſimus. Nec quid etiam Canonica auctoritas hâc parte contra nos proficit. Jure enim illo quod utamur, non fit cogente majoritate Pontificis, ſed quia id à Principibus vel Curiis noſtris approbatum, aut longo etiam uſu introductum eſt. Igitur non ut Pontificio, ſed ut Jure noſtro eo utimur, quod noſtrum factum eſt juſſu Principum aut jure magis conſuetudinario (a): nec hoc quidem per totum; ſed in his duntaxat, quæ pertinent ad forum & res alias civiles, ac quatenus omninò Canones cum æquitate conveniunt, juriſque naturalis & divini veſtigia imitantur. Neque enim putandum eſt, quæ jure illo leguntur, omnia eſſe Sibyllæ oracula. Nam ſcatere Decretum mendis, & à ſe trecenta emendata, aliaque ab aliis, *Covarruvias* ſcribit (b), ac *Felinus* (c) quoque quamplurima contra *Gratianum* collegit. Sed & moleſtam litium multitudinem & perpetuationem ſumſiſſe originē à Romanæ Curiæ ſtylo, qui in judiciis hodiè communiter mutuatur ex Jure Canonico, *Petrus Heigius* (d) pro-

(u) *in cuſpid. Juriſperit. cap. 9.* (x) *Hiſtor. lib. 2.* (y) *diſputat. de controv. fidei Chriſtian. adverſ. huius temp. hæreticos, libr. 1. cap. 10. 11. 12. 13. 14. prout eos refert Paurm. ibid.* (z) *Nov. 9. in pr. Nov. 131. cap. 2. Matth. Stephan. de Iuriſd. lib. 3. part. 1. c. 2. n. 2. Claſen. ibid. c. 10. pag. 101. vid. Paurmeiſt. d. loc. c. 7. n. 15.* (a) *Franciſc. Roman. in quæſt. illuſtrib. ad tit. de iudic. c. Clerici. ibid. poſit. 13. & 14. Gödd. de contrah ſtipulat. cap. 6. concl. n. 109. cit. Stephan. ibid. c. 3. n. 23.* (b) *4. reſol. 12. n. 13. & 14.* (c) *in c. 2. de reſcr. cit. Stephan. ibid. c. 3. n. 21.* (d) *2. qu. 7. n. 2. ex Speculatore in §. nunc breviter. n. 4. de appell.*

probat & *Contardus* (e), referens exindè, in cauſa quadam Anglicana inſtantiam per 34. annos ante conteſtationem litis duraſſe. Neutiquam verò venerari poſſumus Canones in illis, quæ ad Pontificum auctoritatem ſtabiliendam, Imperatorum contra & Regum poteſtatem infringendam ſtatuuntur; nec non, quæ Papam, ut Vicarium Chriſti, omnia prout lubet facere ac quadrata rotundis mutare poſſe adſerunt, ut *proximè præcedente articulo* patuit. Sanè enim cùm illa omnia partim à divinis præceptis, partim à rectæ rationis dictamine abeant, religio nobis ſit contra conſcientiam tantæ inſolentiæ aſſentatores agere. (f)

LVII. Sed nimis forſan à ſcopo divagamur: idcirco hoc ſolum quærendum erit: utrum Papa delictorum pœnas ex Gratia tollere vel mitigare poſſit? Et verò duplicem ille reſpectum induit: unum, quatenus eſt Sacerdos quidam & ſupremus Epiſcopus; alterum verò in quantum ut Princeps ſeculari ſimul poteſtate præditus eſt. Illo modo conſideratus Papa nulla habet jura Regalia, nec poteſtatem ferendi leges civiles, & ſic neque jus aggratiandi. Tantùm ergò quam pœnam Canones definiunt, executioni mandare poterit. At verò jam ſupra *artic. 54. in fine* dictum fuit, illos pœnam ſanguinis non determinare, ſed exhorrere, atque adeò intuitu illorum his, à quibus Sacramenta Domini tractanda ſunt, judicium ſanguinis agitare non licere. (g) Quare etiam pœnam capitalem, quam è Canonibus ſuis irrogare nequit Pontifex (h), remittere nullo modo poteſt: niſi forte id poteſtatis ipſe ſibi ſumat iis in locis, ubi ipſa Regum auctoritas ejus voluntati ſubjacet, aut ſicubi hoc jus conſuetudine aut præſcriptione acquiſitum ſibi habent. Extra hos caſus per meram adulationem ei, quod non habet, tribui-

(e) *in l. unic. ep. poſit. 3. n. 8. C. ſi de moment. poſſ. prout illos adducit Stephan. ibid.*

(f) *Claſen. d. l.*

(g) *c. his à quibus. 23. qu. 8. c. clericis & c. ſententiam X. ne cleric. vel monach. ſecul. c. Prælatis de homic. in 6. Camill Borell. deciſ. 11. n. 39. Auguſtin. Barboſa ad c. 5. & 9. X. ne cleric. vel monach. p. 456. & 460 cit. Claſen. ibid. pag. 102.* (h) *Dn. Claſen. d. loc. contra Borell. libr. 1. c. 10. n. 25. de Edict. Magiſtr.*

tribuitur. Undè optimè Randulphus Prorex Scotiæ, cum latro quidam à Papa literas impunitatis mercatus eſſet, dixit: *ad Papam quidem pertinere condonationem culpæ, ſed pœnam corporis ad Regem.* (i) Attamen prout modò diſtinximus, hæc omnia reſtricta volumus ad reſpectum illũ, quô Papa ut Perſona Eccleſiaſtica conſideratur. Nam quâ ſecularis etiam Principis Majeſtatem refert, non dubitandum eſt, quin poſſit in Provinciis regimini ſuo ſubjectis (k) delinquentibus Gratiam delicti facere. Cur enim ei, qui in ditionibus illis ſuperiorem ſe neminem agnoſcit, & Jura Regalia obtinet (l) & legum ferendarum poteſtate pollet, ius aggratiationis, iſtis incluſum, denegare velimus, non video; uti nec extra Regiones, in quibus ipſi Iuriſdictio competit, hoc extendere eſt licitum. Diſſentiunt ab his Canoniſtæ, ut qui Papæ etiam quâ tali Iura imperii ſecularis adſcribunt (m): quorum tamen domeſticis teſtimoniis hoc loco aures præbere otioſum foret, cumprimis quod tractatio hæc ad illos ſpectet, qui naturam Eccleſiaſticæ & Politicæ Juriſdictionis plenius ſibi explicandam ſumſerunt. Neque iſthoc mirum videri debet, quod politica Principis Perſona in Pontifice parum appareat: quia omne illud mundanum præ ſanctitate Papali obſcuratur: licet aliàs æquè mundanas & carnales in ipſo, quàm Principibus ſecularibus actiones deprehendamus.

LIIX. Proxima Pontificiæ eſt CARDINALITIA dignitas: quod nomen à Cardine deducunt, quoniam nempe circa ipſos, tanquam vertices, volvuntur Valvæ Eccleſiæ Romanæ (n): vel quod conſilio eorum Eccleſia Apoſtolica, quæ ſedes, caput & cardo aliarum Eccleſiarum eſt (o), velut oſtium cardine regatur (p). Aliqui etiam Cardinales vocant

(i) *Idem ibid.*

(k) *Vid. Carol. Sigon. lib. 4. de Regno Ital. Boter. Coſmograph. part. 2. lib. 4 Marant. par. 1. c. 26. & 33. n. 36. de Juriſd.*

(l) *Vid. Melchior Gol. daſt. lib. 3. c. 13. n. 2. de Regn. Bohem. Carpz. c. 13. ſect. 4. de L. Regia. cit. Claſen. ibid. p. 103.* (m) *Vid. Dn. Claſen. ibid. p. 102.* (n) *Limnæus ad Capitul. Caroli V.* (o) *c. ſacroſancta. diſtinct. 22.* (p) *Azorius par. 2. lib. 4. cap. 1. Inſtit. moral. Beſold. in Theſ. practic. p. 150.*

vocant, quaſi ſacerdotes præcipuos & principales, à Cardine, quem vocamus negotii ſummam & principalem quæſtionem (q): vel quod conſtituant ampliſſimum iſtud Collegium, ad quod ſumma negotiorum omnium Chriſtianorum deferuntur (r). Initium hujus ordinis refert *Matthia Stephani* ex *Petro Heigio* (s) ad Anaſtaſium III. Papam circa A. C. 914, qui prohibitus à Berengario, ne Epiſcopum Papienſem Archiepiſcopum crearet, mitræ rubræ inſignia ei tribuerit, ex quo Cardinalitia dignitas nata ſit. Pergit verò & ex *Dreſſero* (t) notat, principio Cardinalium fuiſſe officium ſepelire mortuos & baptizare infantes, ac præcipuam quandam Eccleſiæ curam ſuſtinere: at poſt A.C. 600 imperante Phoca ſub Bonifacio III. una cum Pontifice Romano etiam Cardinales dignitate & opibus ita evectos eſſe, ut domini potentes in mundo evaſerint. Quæ poſtrema manifeſtò repugnant illis, quæ paulò ante dixerat, ſcil. originem eos demum A. 914. ſub Anaſtaſio III. P. M. ſumſiſſe: atque ita contradictionem temporis vir cœtera doctiſſimus committit. Quicquid verò iſtorum ſit, certè Cardinalium in Pontificia Eccleſia maxima eſt dignitas, ita ut Regibus æquiparentur ob gradus amplitudinem (u), in iiſque reſidere dicatur tota Majeſtas Chriſtianæ Reipublicæ (x). Præ cœteris verò eminet Cardinalis Hoſtienſis, qui quaſi Decanus eſt Collegii purpurati, omneſque Reges ac Principes præcedere traditur, Imperatore Romano, quem ſequitur, excepto (y). Dicunt aliàs, Cardinales Romanos, ut primi gradus filios Pontificis reputandos, partemque corporis ejuſdem (z), imò & membra Capitis Pontificis eſſe (a). Ap-

I pellan-

(q) *Matth. Stephan. ibid. c.5. n.8.* (r) *Paurm. lib. 2. c. 7. n. 13.* (s) *part. 1. qu. 3. n. 12.* (t) *in millenar. 5.* (u) *Palæott. par. 1. qu. 5. de ſacr. Conſiſtor. conſultat.* (x) *Duaren. lib. 1. c. 13. de ſacr. Eccleſ. miniſt. Decian. vol. 1. conſil. 8. n. 63. Iulius Clarus. § fin. qu. 98. n. 5. in fin.* (y) *Limn. ad proœm. Capitul. Carol. V.* (z) *Cardin. Palæott. de ſacr. Conſiſtor. conſult. p. 1. qu. 6. Anton. p. 3. tit. 21. de ſtatu Cardinal. c. 1. & ſeq. Vincent. de Frãch. deciſ. 107. n. 7. c. felicis. de pœnis, in 6. cit. Stephan. ibid. n. 7.* (a) *Stephan. d. loc.*

pellantur etiam Fratres Papæ (b), ipſi collaterales, Senatores Pontificis & Senatus Eccleſiæ, ſine quorum conſilio monachis nihil agere liceat (c); undè etiam poſt Papam proximi ſunt, & cœteros omnes clericos dignitate antecedunt: (d): Patriarchas tamen his digniores eſſe, decretis Juris Canonici magis conſentaneum *Paurmeiſterus* exiſtimat (e). Munus autem eorum, ut patuit, ſummum habetur, ut quibus ipſam Pontificis perſonam eligendi facultas competit. Quâ de re ita *Molinæus* (f): *Cardinales*, inquit, *partim ſua, ſuiq; Papæ authoritate & edictis, partim potentia, faſtu & pertinacia idegerunt & aſſecuti ſunt, ut excluſis Principibus, deinde Populo, poſtremò reliquo quoq; clero ad ſe ſolos electio Pontificis Romani pertineret, ſicq; ferè ſemper unum ex ſeipſis eligerent.* Scilicet imitati ſunt Pontifices exempla Imperatorum, ac certis conſtitutis Electoribus eò anniſi ſunt, ut jus eligendi perpetuò retinerent, quod ante tam ſæpè inter ipſos & Imperatores controverſum fuerat (g). Quomodo autem Cardinales eligunt Pontificem, eodem illi hodie arbitrio Pontificis tantùm conſtituuntur (h). Quin amplius tàm inſignis perhibetur Cardinalium auctoritas, ut tradant, non poſſe Pontificem ſolum ardua negotia ſine communicatione hujus Collegii expedire. Ex quò ſit, quod Papa in gravibus deliberationibus in Conſiſtorio ejus maturè expeditis ponat hanc clauſulam: *De Fratrum noſtrorum conſilio* (i). Cæterum Cardinales in Eccleſiis, quas cum titulo poſſident, ut & illis quæ titulo iſti ſunt ſubjectæ, Pontificiam exercent jurisdictionem, & cognoſcere poſſunt pleniſſimè de cauſis clericorum ſuæ Eccleſiæ titularis. Imò certum eſſe ajunt

(b) *c. 'officii. d. offic. legat. in 6. d. c. felicis. de pœn. in 6. Rittershuſ. par. 2. cap. 7. n. 14. p. 86. Nov. cit. Claſen. c. 10. pag. 106. Stephan. ib. n. 15.* (c) *pert. Eccleſia. 16. qu. 1.* (d) *Chaſſan. par. 4. conſid. 9. pag. 292. Catal. glor. mũdi.* (e *d. lib. 2. cap. 7. n. 14.* (f) *in tract. de abuſu Papatûs; citante eum Stephan. d. loc.* (g *Petr. Heig. part. 1. qu. 3. n. 52. ex Peucero in Ottone III.* (h) *Petr. Gregor. lib. 15. Syntagm. cap. 4. n. 13. Lancellott. in templ. omn. iudic. lib. 2. c. 2. §. 1 n. 11. & 15.* (i) *Stephan. ibid. n. 15. ex Anton. Del Re Tiburt. in tract. de iuram. calumn. cap. 28. n. 8.*

ajunt, quòd ſecundùm hodiernos mores non Eccleſiaſtica ſaltim, ſed civili etiam juriſdictione ſint præditi (k).

LIX. E quibus facile profluet judicium de poteſtate Cardinalium circa Gratiam delinquentibus impertiendam. Sanè tantoperè hæc illis competere dicitur, ut ſi fortè obviam fiunt reo, dum ad ſupplicium ducitur, tegẽdo eum pileo vel veſte à pœna mortis liberare valeant (l). Undè *Capolla* (m) hoc conſilium ſuppeditat, *ut procuretur, quò damnatus ad ultimum ſupplicium ducendus per illam ducatur viam, quã incedere Cardinalis ſolet: ut obvius damnato factus pileum ſuum criminoſi imponat capiti, utpote quòd hoc pacto liberari queat.* Enimverò utut aliàs magna eſſe poſſit Cardinalium circa aggratiationem poteſtas, ac ipſi forte hoc jus privilegio vel conſuetudine ſibi acquiſitum habeant; certè tamen nullam iſthæc exemtio reorum laudem habet; ut quæ omni ratione caret, nec ullam ſpeciem præ ſe fert niſi vetuſtatis errorem. Non enim hic qualitas delicti aut delinquentis, nec cauſa etiam ignoſcendi expendi poteſt, quæ tamen omninò negligenda non ſunt, ſi alioquin digna reputari ac probari debeat hæc Gratia. Ne quid dicam de admiſſis contra præcepta divina, de quibus ſanè tam facilis abſolutio concedi non debet, ceu infra monebitur, ut vel unius ſacerdotis occurſu pileique impoſitione homo facinoroſus eximi ſupplicio mereatur (n).

LX. Accedimus ad EPISCOPOS, in quorum ordine Patriarchas, Archiepiſcopos, Metropolitanos & Epiſcopos, nec non ipſum ſummum Pontificem comprehendunt. (o) Nomen habent à Græco ἐπισκοπεῖν, quod *Inſpicere* denotat. Undè & Speculatores ac Inſpectores vitæ morumq; Populi vocantur (p). Quibus apud Proteſtantes aliquo modo tantẽ.

(k) *Stephan. & Dn. Claſſen. locc. citat. cũ auctorib. ibi alleg.* (l) *Lancell. lib. 2. c. 2. §. 3. n. 30. in Templ. omn. jud. dic. Azorius par. 2. lib. 4. c. 3. qu. 20. Inſtit. moral. Baldus in l. addictos C. de Appellat. Ludovic. Carrer. pract. crimin. n. 7. & 8. ci-*

I 2

Dn. Claſen. ibid p. 106. Stephan. d. loc. n. 16. (m) *cautel. 2. pr.* (n) *Dn Claſen. d. loc.* (o) *c. cleros. diſtinct. 21. Vid. Stephan. ibid. cap. 7. n. 1. Paurmeiſt. ibid. lib. 2. c. 7. n. 2.* (p) *d. c. cleros. diſt. 21. Duaren. in tr. de ſacr. Eccleſ. beneſic. ac miniſter. lib. 1. cap. 7.*

d'o reſpondere videntur Superintendentes: quâ ratione cum Superintendentium alii ſint Generales, alii Speciales, hos Epiſcopos, illos Archiepiſcopos; Generaliſſimum verò qui nonnunquam his præeſt, Primatem forte dixeris (q). Obſervatum autem eſt, olim Jurisdictionem Eccleſiaſticam à Civili in Epiſcopatibus omninò fuiſſe ſeparatam, & Carolum Magnum ejusque filium Ludovicum Pium Epiſcopis primum adjunxiſſe Comites, qui ſecularem in Epiſcopatibus Juriſdictionem exercerent. Deindè Otto Magnus fratri ſuo Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi temporalem poteſtatem conceſſit, quod quidem tum temporis multis mirum ac inſolens viſum fuit: quanquam forte non ſine ratione hoc fecerit, ut quò ipſe ſe ſuumque jus contra Dynaſtarum aut rebellium ſubditorum impetus eò felicius tueretur (r). Hodiè verò, ac cumprimis apud nos, id minus dubii habet, ubi ſcil. Epiſcopi duplicem perſonam ſuſtinent, ſecularem Principis & Eccleſiaſticam Epiſcopi: quod fieri poſſe dicunt: & indè etiam duplici juriſdictione, Eccleſiaſtica & ſeculari gaudent (s). Epiſcopi quidem ſunt, in quantum ipſis jura Epiſcopalia & Juriſdictio Eccleſiaſtica competit, quam per Conſiſtoria ſua exercent, & negotia ſpiritualia, animam, religionem, conſcientiam concernentia tractant. Nempe Pontificum in nos auctoritas & ſacra Juriſdictio per Pacem Religionis & Tranſactionem Paſſavienſem ſuſpenſa manet, uſque dum generali aliquâ compoſitione, (quâ de tamen ſpes omnis decollat.) controverſiæ religioſæ felicem finem capiant (t). Principes autem ſimul ſunt hodierni Epiſcopi noſtri, quatenus ab Imperatore Territorio Principali & Regalibus inveſtiti ſunt. Eo enim reſpectu

(q) *Magnif. Dn Conring. diſſert. de Conſtit. Epiſcop. Germ. th. 66.* (r) *Dn. Conring. ibid. th. 47. & diſſert. privat. de Principat. Germ. Dn. Claſen. ibid. pag. 109. ex Lehmann. Chronic. Spirenſ.* .2.c.5. *& aliis. Vid. tamen Stephan. d. loc. cap.* 14. *n.* 16. *Vide etiam Paurmeiſt. ibid. n.* 27. *ſeq.* (s) *Stephan. ibid. n* 10. *Daniel Otto Diſſert. de Iure publ. c.* 18. (t) *Dn. Claſen. ibid. Paurmeiſter. d. c.* 7. *n.* 91.

ſpectu, non ut Eccleſiaſtici, feuda Imperii poſſident & Principali dignitate fruuntur: quemadmodum etiam Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis Electores, non ut Eccleſiaſtici ſeu Archiepiſcopi, ſed ut Principes Imperii, præeminentiam iſtam Electuræ obtinere creduntur (u). Quinimo hodiè in Proteſtantium terris ſæpè longè aliter ac olim ſe res habet. Epiſcopatus enim nonnulli in Provincias redacti vix nomen reliquum habent, dum jura Epiſcopalia Principum ſunt, quorum nomine, uti dictũ, ea exercentur à Conſiſtoriis. (x) Deindè vero quamvis Territorium Epiſcopi propriè non habere dicantur, quod nuſpiam in Canonibus Pontificum Epiſcopis diſtrictus continuus adſignatus legatur, ſed Diœceſes, id eſt, diſperſæ multorum habitationes, vel παροχίαι, ſive continuæ & vicinæ multorum habitationes (y): tamen non eſt dubitandum, quin hodiè, ubi utraque eis Juriſdictio conceſſa eſt, Territorium quoque & Diœceſin ſimul habeant (z). Atque ita ſimul Principes erunt, & in Territorio ſuo prout lubuerit leges condere, ac violantes illas debitis ſubjicere pœnis valebunt. Nam, ut *Matthias Stephani* loquitur (a), *poſtquam ſub Imperatoribus prædia Epiſcoporum feuda facta ſunt, iiſdem ſimul omnia prædicta iura Imperatores per inveſtituram aſſignarunt, nec non etiam ipſos Epiſcopos in corpore Imperij Romani dignitatis gradu ſuffragiis & gubernatione ſecularibus præcellere fecerunt, adeoq; tantis honoribus cumularunt, ut potentiſſimorum Imperij Principum opes & potentiam certè adæquare, ſi non ſuperare poſſint & valeant.*

LXI. Sed ne nimis longè divagemur, ad materiam noſtram revertendum eſt, & diſpiciendum, numne Epiſcopis ex Gratia crimina condonare integrum ſit? Diſtinguere autem refert inter Epiſcopum, quâ talis eſt, conſideratum, & conſideratum eo reſpectu, quâ ſimul Principali poteſtate

(u) *Stephan. d. cap.* 14. *n.* 15. *Daniel Otto ib.*

(x) *laudat. Dn. Conring. d. th.* 66. *Stephan. ibid. c.* 15. *n.* 1.

(y) *Paurmeiſt. d. c.* 7. *n.* 20.

(z) *Dn. Claſen. ibid. pag.* 110. *Stephan d. cap.* 14 *n.* 25.

(a) *d. loc.*

pollet. Priori modo accepto Epiſcopo nullatenus hoc jus aſſignandum eſt, ut qui, quâ eſt Epiſcopus, Regalibus & ſuperioritate Territoriali planè deſtituitur (b). Hanc enim Canones ei non tribuunt, ſed Diœceſanam ſaltim: quod & ipſos Pontificios concedere ajunt. Et uti olim obtinuit, ita adhuc noſtro tempore valet, quando Epiſcopus Principi ſeculari jus territoriale habenti ſubjectus eſt. Quale exemplum in Epiſcopo Caminenſi notatur, qui licet nullius Epiſcopi ſuffraganeus ſit, Juriſdictionem tamen Ducum Pomeraniæ agnoſcit (c). Deindè verò licet notum ſit, Epiſcopo competere Eccleſiaſticam diſciplinam, vi cujus in peccantes canonicis pœnis, ac præprimis Excommunicatione animadvertere valeat; undè etiam de quibuſdam caſibus in Eccleſiaſticis ei diſpenſare eſt permiſſum: attamen ex illo nondum ſequitur, quod jus aggratiandi, uti nos illud cum effectu remittendi pœnam capitalem accipimus, Epiſcopo conveniat. Scilicet poteſtas Eccleſiaſtica Civili poteſtati in caſtigationibus delinquentium ullo modo præjudicare nequit (d). Adhæc quoque certum eſt, non licere Epiſcopis, quâ talibus, leges de delictis capitalibus, eorumque pœnis ſancire, & ſic neque de illis abſolvere: Eccleſia enim pœnam ſanguinis infligere nequit (e); quia diſciplina Eccleſiaſtica non eſt ad mortem, ſed ad emendationem, ad correctionem & diſciplinatum: imò ſententiam ſanguinis dicentes Clerici irregulares fiunt (f). Tandem verò quod ſi nec Papa ipſe abſolvere à pœna facinoroſos poteſt, prout *artic.* 57. oſtenſum dedimus: qui poterit Epiſcopo, ut Sanctitate Pontificia longè inferiori, id juris adſcribi? Niſi fortè dixeris conſuetudine alicubi locorum contrarium invaluiſſe, quæ, ſi rationabilis ſit, adeò improbanda non eſt. Et hæc omnia

(b) *Paurmeiſt. & Stephan citat. locc.*

(c) *Dn. Claſen. ibid. ex Sithmã. in Idæa Epiſcop. c. 6.*

(d) *Id. Dn. Claſen. ibid.*

(e) *c. in archiepiſcopatu. X. de raptor. incend. Vide etiam c. ſententiam. X. ne cler. vel monach. ſecul.*

(f) *Camill. Borell. lib. 1. c. 10. de Edict. Magiſtrat. vid. c. clericis. X. ne cleric. vel monach. ſecul.*

omnia catenus vera ſunt, quatenus Epiſcopus, quâ talis eſt, conſideratur. Cùm verò hodiè plerumque Principis perſonam unà ſuſtineant, ac in Imperio multi inter Status cooptati ſint, non eſt ambigendum, quin hoc ultimo reſpectu pleniſſimam delicti Gratiam facere poſſint. Tum enim eadem ratio, quæ pro aliis Principibus ſecularibus, & pro ipſis militat. Ut adeò quia Regalibus & Superioritate Territoriali gaudent, cujus virtute pro lubitu leges Provinciales condere, deque illis diſponere valent, etiam neceſſariò dicendum ſit, per aggratiationem legibus ſuis derogare illis non eſſe prohibitum. (g)

LXII. In Sacerdotum numero digniorem poſt Epiſcopos locum capiunt ABBATES, qui in Monachorum ſodalitate & Cœnobio Principatum obtinent, ſuntq; velut Monachorum Patres (h). Abbatiſſæ ſunt Monialium antiſtites, quæ Prælatis annumerantur, & Abbatibus pares judicantur, licet in quibuſdam minor earum ſit poteſtas (i). Veniunt autem Abbates in duplici differentia: nam aliqui ſimpliciter dicuntur Abbates, iique ſunt, qui Prælati appellantur: aliqui verò adjuncta gaudent dignitate Principali, quos vocant Geſürſte Äbte / & Abbates Majores (k): quales ſunt Abbas Fuldenſis, Hirsfeldenſis, Campidonenſis, Murbacenſis, Prumenſis, Corbejenſis, Stabulenſis, Præpoſitus Elbangenſis & Berchtelsgadenſis. Hos enim omnes à Prælatorum propriè ſic dictorum ordine ſejunctos, parem reliquis Principibus tàm Eccleſiaſticis quàm Politicis in ſubſelliis Eccleſiaſticis (der Geiſtlichen Bank) dicendæ ſententiæ poteſtatem obtinere, *Paurmeiſterus* (l) teſtis eſt. Quoad Gratiam verò in remiſſionibus pœnarum dicendum, Abbates prioris ordinis & ſimpliciter ita dictos eam delinquentibus impertire neutiquam poſſe. Nam præter rationes eas,

quas

(g) *Dn. Carpz. de L. Regia cap. 3 ſect. 9. n. 183. & ex hoc Dn. Claſen. d. loc. p. 112*

(h) *Borcholt. de feud. c. 5. num. 21.*

(i) *Paurmeiſt. lib. 2. c. 9. n. 10. Roſenth. c. 4. concl. 18. n. 1. Daniel Otto de Iure Public. c. 18.*

(k) *Rumelin. ad A. B. par. 2. diſſ. 2.*

(l) *d. loc. n. 9.*

quas paſſim hûc quadrantes & cumprimis *artic.'54.* adduximus, notum eſt, quod ſubſint Epiſcopo, indeque quod ipſi illis haud ſit licitum. (m) Deindè partim ad Regulam ordinis, partim ad jus expreſsè ſancitum ſunt adſtricti, à quibus recedere, & ſic aggratiare, nullo modo poſſunt (n). Diverſa autem ab his illorum ratio eſt, qui peculiari præ reliquis præeminentia aut dignitate Principali ſplendent. Iſti enim cum Juriſdictionem temporalem vel inveſtitura ab Imperio, ut plerique; vel alio titulo, privilegio ſeu præſcriptione quæſitam habeant, in toto ſuo diſtrictu quoad perſonas & cauſas in jure reddendo idem omninò jus, quod Principes Politici, obtinent (o). Atque ſic non obſcurum eſt, quod tributa remiſſione veniali reos pœna eximere valeant. Neque hoc tamen quâ ſunt Abbates aut ſacrâ poteſtate præditi, ſed omninò vigore dictæ tantùm ſecularis Juriſdictionis.

LXIII. Reſtat ut aliqua de CAPITULO quoque in medium adferamus. Ac principio quidem accuratè diſcrimen notandum eſt inter Collegia Eccleſiaſtica ſuperiora & inferiora (Hohe und Niedrige Stiffte/oder Collegiat-Stiffte) cùm in multis diverſiſſima utrorumque ratio eſſe ſoleat. De prioribus prior inſtituenda erit conſideratio. Videntur autem inter alia ob hunc quoque finem erecta eſſe, ut familiæ generoſæ liberorum numero abundantes haberent refugium, quo poſteris honeſtè citra familiæ imminutionem proſpicerent (p). Quamvis hodiè nimis leviter hâc in re agi videamus, ac Canoniæ & Præbendæ in commercio poſitæ, per verum emtionis venditionis contractum (modo non quibuslibet perditis hominibus) vendantur emanturque, & id non ſine crimine Simoniæ. Cæterùm conſtat Capitula Eccleſiarum Cathedralium in multis magna gaudere pote-

(m) *per c. accedentibus 12. X. de exceſſ. Prælat.*

(n) *Vid. Covarruv. var. reſolut. Tom. 2. lib. 1. c. 3. n. 9.*

(o) *Paurm. ibid. n. 16.*

(p) *Speidel. in Specul. Var. Iurid. p. 610 & Mager. c. 5. n. 406. de Advoc. arm. cit. Dn. Claſen. ibid. c. 11. pag. 115.*

poteſtate. Tales enim Canonici Epiſcopi eligendi vel Administratoris poſtulandi; electi aut poſtulati poteſtatem articulis quibuſdam conſtringendi jus habent. Sunt etiam veluti Senatus quidam Eccleſiæ, ut *Hieronymus* loquitur (q), & Epiſcopi Conſiliarii, quos non ineptè quidam cordi ejus aſſimilant. Attamen hoc non obſtante quoad Gratiam noſtram dicendum eſt, eam Capitulum, quâ tale, nullatenus delinquentibus impertiri poſſe. Sacrum namque Collegium eſt, cujus cum non ſit de vita & ſanguine hominis cognoſcere, quô jure, quæſo, facinoroſos pœnis capitalibus eximent? Ne Epiſcopus quidem, ut talis eſt, quanquam Capitulo ſuperior, id ſibi adſcribere debet, prout *artic. 61.* monſtravimus. Deindè verò licet Capitulares, tanquam membra, cum Epiſcopo, ut capite, unum corpus conſtituant (r): non tamen poſſunt membra ſibi uſurpandam ſumere juriſdictionem capitis, quippe quæ in omnes ſubjectos ac membra ipſa ſe extendit. Dicitur etiam, quod Gratiæ tributio diſpenſationem involvat; hanc autem eſſe de poteſtate Epiſcopi, quæ Sede non vacante Capitulo non competat. Verum ſi rem omnem accuratius inſpexerimus, omninò ſtatuendum fuerit, quod nec Sede vacante Capitulum, quâ tale, jus aggratiandi ſibi vendicare poſſit. Scilicet eo caſu Capitulum quâ tale tantum accipit, quantum in vita Epiſcopus, quâ talis, habuit. At verò in antecedentibus ſatis, nî fallor, oſtenſum fuit, Epiſcopum quâ talem jus veniæ non habere. Ergo nec Capitulum, quâ tale, illud ſibi adſignare poterit: cùm abſurdum ſit, plus juris quem accipere, quàm is, in cujus jus ſuccedit, habuit. (s) Alia tamen ratio erit, ſi, ut plerumque accidit, Epiſcopo ſimul jura Regalium & Juriſdictio temporalis competierit. Tum enim Capitulum, (licet non quâ tale, ſed ut poteſtatis ſecularis particeps) ſimul in adminiſtrationem rerum ſeculariū

(q) *c. Eccleſia. 16. qu. 1.*

(r) *c. novit. X. de his quæ fiunt à Prælat.* *Petrus Gregor. Tholoſā. de off. ord.*

(s) *l. 54. de R. I.*

ſuccedet (t). Imò propriè non ſucceſſione quidem in jus Epiſcopi veniet, ſed quaſi jure accreſcendi: cùm ordinaria juriſdictio Diœceſeos ſit penes Eccleſiam, cujus appellatione venit Capitulum (u). Ideò rectè ſcripſiſſe *Gailium* (x), quod Juriſdictio Sede vacante non ad Capitulum deferatur, ſed apud illud remaneat, *Paurmeiſterus* (y) cenſet. Indè ergo, quemadmodum Epiſcopus ob jura Regalium ſibi conceſſorum ex legibus potuit judicare, condemnare, & parcere reo: eodem modo & Capitulum judicat, condemnat, abſolvit, perindè ac ſi Epiſcopus in vivis eſſet (z). Inter Juriſdictionalia tamen illa, quæ Capitulum Sede vacante habet, non referendum venit Officium aliquod ſpecialiter Epiſcopi perſonæ competens, quemadmodum Archiepiſcopo Moguntino competit jus convocandi Electores mortuo Imperatore, & totum officium Electorale ac ArchiCancellariatus per Germaniam, quô ſanè Capitulum Moguntinenſe defuncto Archiepiſcopo gaudere nullo modo poteſt. Repeterem hic quoque, niſi jam per priora clarum eſſet, Capitulum non quâ tale, neque quatenus in jus Epiſcopalè ſuccedit; ſed omninò in quantum poſt obitum Epiſcopi plena rerum ſecularium Juriſdictione potitur, Gratiam delicti poſſe facere. Illud verò notandum eſt, quod interdum Capitulo quædam ditiones ſubjiciantur, quarum reſpectu illud plenam Juriſdictionem temporalem habet. Ergo cum illis in locis jus ſtatuendi privativè obtineat, hoc eſt, non concurrente Epiſcopo etiam quoad criminalia in exercitio Juriſdictionis; non dubitandum eſt, quin illud pœnam etiam capitalem reo ob juſtam cauſam remittere valeat. Par judicium ferendum erit, ſi aliàs etiam præſcriptione jus aggratiandi ſibi acquiſitum habeat Capitulum; item ſi

(t) *c. ſi Epiſcopus. de ſupplend. neglig. Prælat. in 6. Barboſa ad c. 14. de Maior. & Obed. cit. Claſen. d. c. 11.* (u) *c. cum clerici. X de verb. ſignif. Specul. in tit. de inſtrum. edit. §. nunc aliqua. verſ. item circa. cit. Paurm. l. 2. c. 7. n. 103.* (x) *1. Obſerv. 30. n. 10.* (y) *cit. loc.* (z) *Klock. Tom. 1. conſil. 35. n. 80. Andr. Vallenſ. l. 3. tit. 8. p. 282. Paratitl. Jur. Canon. adduc. Dn. Claſen. d. loc.*

ſi conſuetudine aut privilegio; quod de Canonicis Eccleſiæ Rhotomagenſis in Gallia referunt: de quibus infra dicendi locus dabitur.

LXIV. Hæc de Collegiis Eccleſiaſticis ſuperioribus. Inferiora quod ſpectat ſive Eccleſias Collegiatas, quilibet videt, minori adhùc jure illis Gratiam adſcribi. Majori enim ſubjectione Epiſcopum venerantur, quàm Canonici Eccleſiæ Cathedralis; & tamen in antecedentibus hujus Capitulo, quâ tali, jus aggratiandi denegavimus. Nec quid illud efficit, ſi dicas, poſſidere pagos quoſdam Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, in quibus Juriſdictione tum Civili tum Criminali gaudeat. Nam in ſuperioribus declaratum fuit, non ſtatim illi licere veniam criminis impertiri, qui merum obtinet imperium; ſed verè tantùm hoc jus è competente jure Superioritatis Territorialis ac Regalium fluere; quæ Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ vendicari, nemo facilè dixerit. Tandem nec iſthoc valdè obſtabit, ſi ſtatuas, poſſe per præſcriptionem ejuſmodi Capitulo ius aggratiandi acquiri. Etenim hanc ſententiam grande ſibi concitare dubium, dicit *Dn. D. Claſenius*, quod nondum certo conſtet, num quid tali Capitulo de iure competat Judicium Criminalium, multo minus num annexam habeat ſuperioritatem quandam, vi cuius hoc Regale poſſit præſcribi. Imo *non credo*, inquit, *Epiſcopum, quatenus ſimul Princeps eſt, & cui iudicia criminalia quoad omnes ſubditos totius Epiſcopatus competunt, permiſſurum, quò reo & maleſico capitaliter puniendo veniam largiatur Capitulum, quin potius tum tali actui in præiudicium Illuſtriſſimi, & ſummæ iuriſdictionis vergenti fortiſſimè contradicturum puto.* *d.c.11.in fine.*

Sed ſatis, nî fallor, de cauſa efficiente huius Gratiæ, ſive illis qui culpam & pœnam remittere poſſunt, actum fuit. Ideo memores quanta adhùc dicenda reſtent, metuenteſq; ne diſſertatio hæc nimium excreſcat, progredimur ulterius ad

MEMBRUM IV.

QUO AGITUR DE QUALITATE ET ÆSTIMATIONE DELICTI, QUOD EX GRATIA CONDONARI POTEST.

CONSPECTUS.

65. *Non eſſe locum Gratiæ, ubi non eſt locus pœnæ.*
66. *Actus internos non poſſe ab hominibus puniri.*
67. *Nec eſſe punibiles actus per imbecillitatem humanam inevitabiles.*
68 *Nec peccata neq; directè neq; indirectè ad ſocietatem humanam alterumve hominem ſpectantia.*
69. *Nec actus oppoſitos illis virtutibus, quarum natura coactionem repudiat.*
70. *Nec actionem merè violentam.*
71. *Æſtimari delicta modo graviora modo leviora prout adverſum LL. divinas & naturales, vel civiles admiſſa ſunt.*
72. *Quid ſint LL. divinæ & quotuplices. Ceremonialibus nos non obligari.*
73. *Uti nec Forenſibus: cum limitatione tamen.*
74. *Obligari autem Moralibus: nec niſi ob urgentem cauſam delinquentibus cõtra iſtas poſſe Gratiam concedi.*
75. *Idem ſentiendum eſſe de LL. naturalibus.*
76. *Poſſe tamen aliquando ob magnam cauſam homicidium licet deliberatum condonari.*
77. *Idem obtinere in cæteris delictis contra has LL. patratis.*
78. *Faciliorem eſſe diſpenſationem adverſum Leges civiles.*
79. *Præter Legum reſpectum in delicti alicuius æſtimatione etiam conſiderandum eſſe eius tum materiale tũ formale: & quid ſit delicti materiale.*
80. *Quid formale.*
81. *Doctrina Hornii, quomodo ratio voluntarii augeatur*

LXV. Meminerint Principes, & quicunque gladium geſtant, haud eſſe rem tam exigui momenti pœnam, ut pro quovis admiſſo vel imponi vel omitti ad arbitrium poſſit. Non ſanè adeo leviter ſtatuendum, uti quidem non raro accidit, de re longè pretioſiſſima, malitiæ medicatrice, imo humani generis conſervatrice. Cautiùs omnino cum illius remiſſione agi decet, atque adeo cum peccata quædam ita comparata ſint, ut ullo modo animadverſionem effugere nequeant, quædam autem adhùc illius, ſive mitigationem ſive etiam remiſſionem mereantur; nobis inquirendum hic erit, ex quô fundamento illa vel graviora vel leviora ſtatui debeant, atque exindè quæ condonari ſine læſione Juſtitiæ poſſint. Pronum vero eſt cuique intelligere, quod factum illud, cuius Gratia tribuitur, tale eſſe debeat, ut ei licitè pœna & quidem gravior imponi queat. Aliter enim ſi eſſet, Gratia naturam & dignitatem ſuam amitteret, foretque dicenda remiſſio illa non gratioſa, ſed debita; non voluntaria, ſed neceſſaria. Igitur hic quoque inſtar principii tenendum erit: quod ubicunque non eſt locus pœnæ, ibi nec ſit locus Gratiæ: ut tamen ex eo affirmativè haud colligere liceat: ubicunq; locum habet pœna, ibi quoque locum habere Gratiam. Multa namque dantur delicta, quorum venia vel à ſummis Principibus non concedi poſſe videtur, uti mox è dicendis patebit.

LXVI. Referuntur vero ab incomparabili *Grotio* (a) aliquot genera actuum vitioſorum, qui ab hominibus puniri nequeunt, & ſic in quibus neque Gratia ſedem invenit. *Primò* enim dicit actûs internos non eſſe punibiles ab hominibus, licet aliquando contingat, ut caſu aliquo, puta per

(a) *de I. B. & P. libr. 2 c. 20. n. 18. ſeqq.*

per ſpontaneam confeſſionem ad notitiam aliorum perveniant. Non enim eſſe naturæ humanæ congruum, ut ex actibus, qui merè interni ſunt, jus aut obligatio inter mortales naſcatur: forſan quia ad quamlibet obligationē communicatio quædam vel operis, vel ſermonis vel ad minimum ſignorum externorum requiri videtur. Quam in rem

(b) *l. 18. D. de pæn.* appoſitè *Vlpianus* (b) dicit: *Cogitationis pœnam neminem pati.* Et Cato apud *Gellium* (c) ita inclamat: *Quis tandem*

(c) *N. A. lib. 7. c. 3.* *eſt noſtrum, qui quod ad ſeſe attinet, æquum cenſeat, quenquam pœnas dare ob eam rem, quod arguatur malè facere voluiſſe? nemo opinor. nam ego, quod ad me attinet, nolim.* Indè *facta ſola cenſenda dicit, atq; in iudicium vocanda, ſed voluntates nudas inaneſq; neq; legibus neq; pœnis fieri obnoxias.* Ex quô ſequitur, quod Dei cordium ſcrutatoris cognitioni & iudicationi eiuſmodi delicta relinquenda ſint. Quod ſi vero contingat, ut actus illi interni in externos prorumpant, quod apud JCtos *attentatum* vocatur (d), non plane impunitum hoc prætermitti debet, ſed poterit Judex pro arbitrio & ratione attentati, ſc. prout ad actum proximum vel remotum delinquens pervenit, modo ſeverius modo mitius in illud animadvertere.

(d) *Dn. Carpzov Pract. Crim. part. 1. qu. 17. n. 18. & qu. 22. n. 70.*

LXVII. Juxta illum *ſecundò* nec hi actus ab hominibus puniri poſſunt, qui per imbecillitatem humanam ita ferè inevitabiles ſunt. Etenim utut certum ſit, id omne peccatum dici, quod libere fit & à volentibus; tale vero ſemper pœnam mereri videatur; ab omni tamen peccato abſtinere nec unquam labi, non humanitatis ſed divinitatis eſt. (e) Imo forte non abs re adhuc quis hæſitaverit, num etiam huiuſcemodi admiſſa rectè nuncupari queant peccata, quoniam libertate illâ, quam in ſpecie habere videntur, omnino carent, ſi in generalitate ſuâ eadem conſideres, & attentâ maximâ illâ infirmitate, quæ mortalibus omnibus communis

(e) *§. 14. de confirmat. Digeſtor.*

munis eſt. Undè & hodiè illi qui Rerumpubl. gubernacula tractant, non requirere ſolent, ut Cives perfectè ſecundum virtutem operentur, ſufficere putantes, ſi planè non ſint vitioſi: alii, ſi modò alter alterum non lædat, & illa opprimantur mala, cum quibus ſocietas civilis ſtare nequit. Deinde quædam ſunt, non quidem ſimpliciter naturæ humanæ, ſed huic aut illi homini & nunc inevitabilia, cauſa exiſtente conditione corporis aut temperamento, quod ſæpè animum per tranſverſa trahit, acutisque ad aliquod vitium ſtimulis concitat. Conſuetudo etiam, velut altera natura, multum hâc in re momenti habet. Quæ tamen caſtigationem omnem non evadit, non tam in ſeſe, quàm propter culpam præcedentem, quia quis remedia quæ adhibere potuit per negligentiam prætermiſit, vel ultrò morbum in animum attraxit. Quicquid tandem dicamus, certum manet, hominem ad inſtar Angelorum ab omni labe purum vivere non poſſe: quâ re quoque Theologorum libri adeò ſunt pleni, ut conſenſum eorum velle monſtrare, fuerit hominis otio ſuo abutentis. Ipſi firmiter hoc aſſeruerunt Ethnici, ut ex adductis apud *Grotium* teſtimoniis liquet. Apud eum ita *Sopater*: ἴσως ἄν τις ὡς ἀναμαρτήτους κολάζῃ τὸ μέτρον ὑπερβαίνει τῆς κατὰ φύσιν ἐπανορθώσεως. *Si quis homines puniat tanquam qui ab omni peccato vacare poſsint, menſuram excedit eius quæ ſecundum naturam eſt correctionis.* Quod à *Diodoro Siculo* vocatur συναδικεῖν τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἀσθένειαν, *iniurium eſſe adverſus communem hominum imbecillitatem.* Et alibi: τῆς ἀνθρωπίνης καὶ κοινῆς ἀσθενείας ἐπιλανθάνεσθαι. *oblivisci infirmitatis eius, quæ communis eſt humano generi. Seneca* proindè veriſſime: *Si puniendus eſt, cuicunque pravum maleficumque ingenium eſt, pœna neminem excipiet.*

libr. 13.

lib. 17.

de ira lib. 2. c. 31.

LXIIX. Nullam *tertiò* merentur pœnam peccata, neque

neque directè neque indirectè ad ſocietatem humanam al-
cit. loc. terumve hominem ſpectantia. *Ratio eſt*, inquit *Grotius*,
n. 20. *quia nulla eſt cauſa, cur non talia peccata relinquantur Deo punienda, qui & ad ea noſcenda eſt ſapientiſſimus, & ad expendenda æquiſſimus, & ad vindicanda potentiſſimus. Quare ab hominibus punitio talis inſtitueretur planè ſine utilitate, ac proinde mendosè.* Excipiendas tamen dicit pœnas emendatorias, in hunc finem inflictas, ut per illas delinquens melior reddatur, licet forte id aliorum non interſit.

Grot. d. loc. LXIX. *Quartò* quoque non puniendi videntur actus illis oppoſiti virtutibus, quarum natura coactionem repudiat: in quarum numero cenſentur miſericordia, liberalitas & Gratiæ retributio. Scilicet deprimeretur earundem excelſitas, ſi neceſſariæ fierent, nec cuiquam tutum eſſet negligentem in iis ſe aliquando exhibuiſſe. Undè de grati-
libr. 3. de tudine *Seneca*: *Cum res honeſtiſſima ſit referre gratiam, deſi-*
benef. *nit eſſe honeſta, ſi neceſſaria eſt. Non enim magis laudabit*
cap. 7. *quiſquam gratum hominem, quàm eum, qui depoſitum reddi-*
pag. m. *dit, aut quod debebat citra iudicium ſolvit.* Et mox: *Non eſt*
413. *glorioſa res, gratum eſſe: niſi tutum eſt, ingratum fuiſſe.*

LXX. Tandem *quintò* etiam aliquo modo huc referri poteſt actio merè violenta, quæ ab omni peccato ex-
Dn. Fel- cuſat, v. gr. ſi quis arripiat manum meam & alteri infligat
de Ele- alapam. Nam cùm in ea omne principium motus extra o-
ment. perantem ſit, atque adeò ipſe ad talem actionem nihil con-
Iur. part. ferat, indeque nec ejuſdem cauſa dici queat, nullam in eo
2. lib. 1. pœnam locum habere in propatulo eſt. Sed de his ſatis. *Vi-*
cap. 5. *de eund. Dn. Feld e Part. 2. libr. 2. c. 3. membr. 1.* ubi latè a-
membr. git de vitiis, quæ in civitatibus puniri ſolent.
5. n. 7. LXXI. Cùm igitur iſtorum peccatorum punitio, uti dictum, ad homines non ſpectet, ſequitur nec illa apta eſſe quæ à Principe veniam vel condemnationem recipiant. Ma-

net ita

net ita, quod punibile debeat eſſe factum cujus fieri poſſit Gratia. Æſtimantur autem talia modò graviora modò leviora, prout contra leges vel divinas, vel naturales, vel humanas admiſſa reperiuntur, in quibus promeritam juſtamque pœnam accipiunt. Ideò de Legibus, primoque divinis & adverſum illa peccatis, aliquid dicendum erit.

LXXII. Leges divinæ vocari poſſunt orationes, à Deo O. M. profectæ, quæ regulam aliquam continent eorum, quæ ipſe ab hominibus fieri vel non fieri voluit. Tribui ſolent communiter in tres ſpecies: Ceremoniales, Forenſes & Morales. (a) Quæ diviſio in ipſo Sacro Codice fundamentum ſuum habere videtur. Ibi enim (b) Moſes, *Quæ eſt*, inquit, *alia gens tam inclyta, ut habeat ceremonias, juſtaq; jura dicta & univerſam legem, quam ego propono hodiè ante oculos veſtros?* Ceremoniales autem dicuntur ſanctiones illæ, quas Deus per Moſen tulit, de ritibus ſacrificiorum & Ceremoniarum Veteris Teſtamenti, cultui divino inſervientium. De quibus non eſt ut ſimus ſolliciti, exemti quippe per acerbiſſimam Servatoris paſſionem earum jugo. Itaq; cùm hodiè nos non obligent, fruſtra quoque illas non obſervans Gratiam ſibi fieri poſtulaverit.

(a) *Vide Tiraquell. d. tract. de pæn. temp. aut remitt. cauſ. 38. n. 4. ſeqq*

(b) *Deut. 4. v. 8.*

LXXIII. Leges Forenſes ſunt Conſtitutiones à Deo Populo Judaico latæ, de vita civili, judiciis inſtituendis & controverſiis forenſibus dirimendis. Et ex eâdē ratione de his dicendum, quod iis non obligemur. Solam enim Rempublicam Judaicam ſpectarunt, quæ cùm jam dudum deſierit, prout aliundè notum habemus, pronum eſt cuique intelligere, nec amplius earundem durare obſervantiam. Falluntur autem egregiè Judæorum illi, qui putant, etiam exteros, ſi ſalvi eſſe vellent, ſubire debuiſſe legis Hebraicæ jugum. Etenim quî poteſt lex eos obligare quibus non eſt data? At quibus data ſit, lex ipſa loquitur, cum dicit: *Audi*

Iſraël. uti paſſim quoque cum ſolis Judæis fœdus ictum, ipſoſque in peculiarem Dei populum lectos fuiſſe, ſacræ paginæ docent. Ex quô fluit, leges illas Moſaicas intuitu noſtrum aliorumque præter populum Hebraicum non rectè dici abrogatas, puta quos nunquam ad obedientiam obſtrinxerunt: melius verò antiquatas, ob ſtatum civilem Gentis Judaicæ dudum ſublatum. Quod diſertè etiam *Grotius* dicit, quando, *Hinc colligimus*, inquit, *nulla parte legis Hebraæ, quâ lex eſt propriè, nos obligari, quia obligatio extra ius naturæ venit ex voluntate legem ferentis. Deum autem voluiſſe, ut alii quam Iſraëlitæ iſta lege tenerentur, nullo indicio poteſt deprehendi. Non igitur, nos quod attinet, probanda eſt ulla legis abrogatio: nam nec abrogari potuit eorum reſpectu, quos nunquam obſtrinxit. Sed ab Iſraëlitis ablata eſt obligatio, quoad ritualia quidem, ſtatim poſtquam lex Evangelij cœpit promulgari; quod Apoſtolorum principi clarè fuit revelatum, Actor. 10. v. 15. quoad cætera verò, poſtquam populus ille per excidium urbis & deſolationem præciſam ſine ſpe reſtitutionis populus eſſe deſiit.* Quod hactenus diximus, Leges forenſes nullum præter populum Judaicum obligaſſe, eatenus verum eſt, quatenus de legibus purè forenſibus, ſeu in quantum tales ſunt, intelligitur. Aſt quoniam contingit leges morales quandoque ineſſe forenſibus, dicendũ eſt iis neminem, cujuſcunque ſit gentis, ſolutum manere; non quidem quâ ſunt forenſes, verùm quâ moralis ſanctio iis incluſa eſt. Hiſce namque omne debemus obſequium; uti mox apparebit. Deinde cùm nonnunquam Magiſtratus Chriſtianus repetat atque aſſumat ejuſcemodi leges, certum eſt, quod tùm illis parere neceſſe habeamus, non quidem iterum quaſi forenſibus Judaicis, ſed quia Reipublicæ â Majeſtate Chriſtiana velut norma agendorum præſcriptæ ſunt. Tum verò tantum valebunt, quantum aliæ civiles; ac æquè facilis contra illas atque alias obtineri poterit diſpenſatio,

de I. B. & P. lib. 2. c. 1. n. 16.

LXXIV. Lex moralis eſt æterna & immota divinæ juſtitiæ regula, mentibus hominum in creatione inſita, & poſt lapſum repetita, perfectam tùm faciendorum tùm omittendorum obedientiam requirens, obſequentibus vitam promittens, transgreſſoribus verò pœnas temporales & æternas annuncians. Adpellatur *moralis*, quod ſit norma quædam morum, oſtendens quomodo hominum mores & actiones, nec non interni adfectus tum erga Deum tum proximum comparati eſſe debeant. Ex hiſce vero facile diſpectu eſt, non eſſe perſonalem hanc legem, aut certo cuidam populo latam; ſed univerſalem, omnes omnino mortales ad perfectam obedientiam adſtringens. Quo pertinet quod *Moſes* (a) dicit, & *Apoſtolus* (b) repetit: *Maledictus omnis, quicunq; non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Neque putandum eſt, abrogatam eſſe hanc legem, licet ejus maledictio in credentibus per Chriſtum ſublata ſit. (c) Sed nec ignorantia ejus quenquam excuſaverit, cum ignorari illa nequeat, utpote naturalis, ab auctore naturæ profecta, cujuſque notitiam omnibus naturæ lumen ſuppeditat. Liquere adeo poteſt, quid ſentiendum ſit de diſpenſatione in delictis contra has leges perpetratis, v. gr. Blaſphemia, homicidio, ſodomia, adulterio, & ſimilibus. Scilicet nemini mortalium, nec Principibus nec Imperatori ipſi licet veniam largiri, ſi adverſum divinas haſce leges peccatum fuerit, niſi urgentiſſima hocipſum cauſa ſuadeat. (d)

(a) *Deut. 27. v. 26.*
(b) *ad Galat. 3. v. 10.*
(c) *ibid. c. 3. v. 13. c. 4. v. 4.*

 Ob

(d) *Petr. Heig. part. 2. qu. 24. n. 30. & ſeqq. Petrus Theodor. in Colleg. Crimin. diſp. 10. th. 7. lit. B. Hænon. diſp. Polit. 9. th. 13. Chriſtoph. Beſold. diſp. Pol. 3. claſſ. 1. th. 14 & hos allegans Dn. Carpz. Pract. crim. qu. ult. n. 29. ſeqq. Ludvv. in Synopſ. iur. feud. c. 13. Limnæus iur publ. libr. 4. c. 8. n. 280. ſeqq. Arniſæus de iur. Majeſt. lib. 2. c. 3. n. 6. Niellius diſp. feudal. XI. th. 2. lit. D. cit. Reinhold. Meier. d. diſp. de remiſſ. pœn. th. 40.*

Ob quod nigro utiq; calculo notari meretur Privilegium illud Eccleſiæ Rhotomagenſi in Gallia datũ, quod Privilegium Divi Romani adpellant: cujus fiducia Canonici illius Eccleſiæ Curiæ Rhotomagenſi ac iudicibus omnibus interdicunt, pridiè quo feſta dies coli conſuevit, ne damnatos propter quodcunque maleficii genus ſupplicio afficiant. Tum ſibi è facinoroſis in publico carcere incluſis hominibus ſceleratiſſimum dari poſtulant, quem ubi audiverunt confitentem peccata commiſſa, eumque ad vitæ melioris emendationẽ exhortati ſunt, publicis ceremoniis primum in templo, deindè in foro magnificè adornato, inſpectante populo ab omni ſupplicio immunem pronunciant. (e) Quam conſuetudinem valdè improbat *Bodinus* (f), ſeque eam non ſine dolore vidiſſe teſtatur. Inter alia ita de ea loquitur: *Illud autem perniti oſiſſimum iudico, quod D. Romani beneficio tributum erat, ut eo frui nemo poſſet, qui leviter peccarat; ſed is tantum qui ſcelerum ac flagitiorum execrabilium immanitate omnes omniũ impietates longè ſuperarat; ut quæ nec divinis poſſent, nec humanis legibus, nec Principum gratia condonari, ea D. Romani obiecta ſpecie abolerentur. Id autem cum impietate maxima coniunctum eſt; ut veniam eo gratiorem immortali Deo fore putent, quo gravius ac deteſtabilius peccatur: ego verò nec Principibus ullis, nec mortalium cuiquam veniam largiri licere ſtatuo, ſi ſcelus divina lege capitale fuerit.* Similem ferè impietatem olet quod de Neuſtriæ Duce Wilhelmo Conqueſtore referunt. (g) Is in Anglico contra Haraldum Regem prælio victor, cœnobium in honorem D. Martini conſecravit, addito hoc privilegio, ut ſi quis homicida, latro, aut aliùs criminis reus timore mortis illuc confugiſſet, in nullo læderetur, ſed liber omninò dimitteretur. Ipſi quoq; Abbati hanc conceſſit poteſtatem, ut ſi forte ſuperveniret, ipſi liceret latronem vel furem de ſuſpendio liberare. Plura ſanè adduci poſſent, omnem

(e) *Abraham. Golnitz in Itin. Belgico-Gallic. p. 208*

(f) *lib. 1. de Republ. c. 10.*

(g) *Choppin. de domin. Franc. libr. 2. tit. 7. n. 11. & ex eo Dn. Limnæus d. lib. 4. cap. 8. n. 274.*

ómnem vituperationem merentia, qualia ſunt antiqua illa privilegia Romanarum Veſtalium & hodierna Cardinalium, nec non Civitatum quarundam, quarum nundinas quilibet ſeu fur ſeu latro ſit, licitè viſitare poteſt: quò & Principum nonnullorum mores ſpectant, qui eo die quem feſtum colunt, vel ſceleſtiſſimis hominibus ignoſcere ſolent: ſed omnia perſequi velle, inſtituti noſtri rationem ſupergrederetur. Caveant ſibi Principes, ne liberales & benigni ſint de alieno, pœnamque remittant, quæ Deo debetur, ac proindè ab hominibus tolli nequit. Quamobrem quoque prudenter atque juſtiſſimè Stephanus Rex Poloniæ execrabilem Nobilitatis conſuetudinem ſuſtulit, per quam quibusvis cædē perpetrantibus impunitas concedi ſolebat, certa pecuniæ ſumma corpori interfecti impoſita. (h) Uti ex adverſo ſtultum impiumque eſt Caſimiri Magni etiam Poloniæ Regis auſum, qui ſanctione ſpeciali corrigere voluit rigorem legum divinarum. (i) Quis mortalium ſanâ mente præditus, tantæ ſit ſuperbiæ, ut ſanctiſſima immortalis Dei ſtatuta intervertere audeat?

LXXV. Quod de legibus divinis moralibus dictum fuit, idem quoque de naturalibus accipiendum eſt. (De legibus Gentium & admiſſis adverſum eas vide *eund. Dn. Linnæum d. loc. n. 279.*) Verè namque inter ſe non differunt hæ leges, cum naturalis nihil aliud ſit, quàm eadem illa Divini Numinis regula, in creatione hominum mentibus inſita, & in Scriptura S. repetita, vi cuius honeſta & turpia ab invicem ſecernimus. (k) Quâ de re ſatis benè loquitur *Alphonſus à Caſtro*: (l) *Ius Naturale*, ait, *eſt illud, quod ex ipſius Naturæ inſtitutione provenit, & hoc eſt omnibus commune. Et hoc etiam eſt Ius Divinum, quia Deus ipſe qui naturam condidit, eſt Iuris Naturalis autor & inſtitutor. Si igitur Ius*

(h) *Daniel Otto diſſert. de Iure publ. c. 11*

(i) *uti ex lib. 1. ſtatut. Polon. c. 15. art. 6. l. 7 refert Dn. Linnæus cit. loc. n. 283.*

(k) *Vid. Thomas Hobbes illud cap. 14. artic. 4. & toto cap. 4. ubi hoc latè & diligenter oſtendit.* (l) *de lege pœnal. lib. 2. c. 14. citante Reinhold. Meier. d. loc. th. 45.*

illud ad conditorem referas, Divinum dicetur; ſi verò ad tempus ſui ortus illud comparare velis, Naturale dicetur; quia ſimul cum ipſa oritur Natura & non poſtea per aliquam ſive humanam ſive Divinam legem. Alias eleganter etiam *Cicero* de hâc lege diſſerit, (m) cuius verba quoque apponere lubet. *Hanc video,* inquit, *ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem* (loquitur autem de naturali,) *neq; hominum ingeniis excogitatam, neq; ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi prohibendiq; ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei.* Idem alibi (n): *Eſt quidem verò lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omneis, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat, quæ tamen neq; probos fruſtra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando movet. HUIC LEGI NEC OBROGARI FAS EST, NEQUE DEROGARI, EX HAC ALIQUID LICET, NEQUE TOTA ABROGARI POTEST. Nec verò aut per Senatum, aut per populum ſolvi hâc lege poſſumus. Neq; eſt quærendus explanator, aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & omneis Genteis & omni tempore una lex & ſempiterna & immortalis continebit, unusq; erit communis quaſi Magiſter, & Imperator omnium Deus ille, legis huius inventor, diſceptator, lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cetera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.* Hæc *Tullius.* E quibus perſpicuum evadit, legis huius obſervantiam non poſſe ſeponi vel abiici; ſed ſemper eam tenere, eſſeque totam immutabilem. Non enim quod vetat licitum eſſe poteſt, aut quod iubet illicitum. Quanquam verò aliquando actiones circumſtantiis aut lege civili ita diverſificari

(m) *libr. 2. de LL. §. 11.*

(n) *libr. 3. de Re-publ. apud Lactant. lib. 6. c. 8.*

cari videmus, ut quæ uno tempore æquæ, alio iniquæ; & quæ hoc cum ratione, illo contra rationem acta appareant: hoc tamen omne naturam legum naturalium & virtutum non tangit nec immutat; ſed immotæ illæ manent, quatenus pro talibus animi diſpoſitionibus intelliguntur. (o) Neque igitur contra illas, perindè ut divinas morales, aggratiatio locum habebit: cum quam ſanctionem Summum Numen tulit perpetuò duraturam, illius tenorem mortali creaturæ infirmare haud liceat.

LXXVI. Dubium tamen alicui ſit, numne aliquando in delictis ejuſcemodi remiſſio locum habere poſſit, ſi valdè gravis cauſa magiſtratum ad hoc adducat. Sanè homicidium legibus divinis & naturalibus adverſari omnes ferè concedunt: quin autem aliquando ſi caſuale illud ſit ac neceſſarium, pœna ejus mitigari vel etiam tota remitti poſſit, non eſt ut quis ambigat. Si ſacrum Codicem reſpiciamus haud ob alium finem conſtitutæ fuerunt Civitates refugii ſive Aſyla, niſi ut in illis ſalutem quæreret, qui ex improviſo hominem occiderat. (p) Jure Civili talibus etiam parci, ex pluribus ejus Textibus probari poteſt (q). Sed nec gentes moratiores unquam in hujuſmodi reos judicium exercuiſſe, *Petrus Heigius* & *Seldenus* (r) oſtendunt. Verum cum hæc de homicidio caſuali & neceſſario à nobis prolata ſint, forte non immeritò quis objecerit, talia homicidia non adverſari legibus divinis & naturalibus, ut quæ de deliberatis atq; doloſis tantum loquantur. Illi verò reſpondemus, ſæpè etiam doloſa homicidia condonata fuiſſe, ob inſignem utilitatem, quam reus in Rempublicam contulit: quod adductis multis Ddrum auctoritatibus probat doctiſſimus JCtus *Proſper Farivacius* (s), & exemplum refert de Gratia facta

aliqui=

(o) *Vid. Hobbes cit. loc. c. 3. art. 29. confer etiam infra cauſ. 19. de ignor. univerſ.*

(p) *Vid. Num. 35. v. 6. 11 & ſeqq. Deut. 4. v. 41. & c. 19. v. 2. Joſ. 20. v. 2.*

(q) *Vid. §. 4. 5. 6. 7. 8. I. ad Leg. Aquil. l. 45. §. 4. D. eod. l. 1. 2. 3. 4. 5. C. ad Leg. Cornel. de Sicar. item Conſt. Crim. Carol. V. art. 139. 140. 146.* (r) *Ille part. 2. qu. 24. hic lib. 4. c. 2. Vid. etiam l. 3 de I. & I.* (s) *d. qu. 6. num. 22.*

aliquibus homicidis, qui tranſnatando flumen dederunt cauſam victoriæ univerſi exercitus, qui eos inſecutus erat: item de Gratia conceſſa pro homicidio deliberato cauſa ſedandi aliquem populum: nec non de venia alicui tributa, qui in bello magnum numerum infidelium occiderat, & alii, qui complices alios ac delictum Curiæ ignotum revelaverat. Ipſe etiam *Conſultiſſ. Farinacius*, firmiter ſtatuit, *poſſe Principem cum cauſa, puta pro bono pacis, non ſolum pœnas delictorum & homicidiorum deliberatorum remittere, ſed etiam damna & intereſſe partis ea invita & non concordata.* Quanquam fortaſſis, ſi rem ad normam non utilitatis publicæ ſed juſtitiæ particularis & correctoriæ ſtrictè examinare velimus, hæc Italorum indulgentia nobis vix imitanda videatur ut quibus ſæpè non adeò pretioſa res ſanguis humanus eſſe ſolet. Certe dubitari poteſt, an hoc unquam penes nos obtinuerit, ut deliberatus homicida ab omni prorſus pœna abſolutus fuerit, licet aliqua parte utilis Reipublicæ exſtiterit. Iſtis tamen non obſtantibus ipſe adhùc cum *Farinacio* ſentiam, cum quod juſtum ex hypotheſi etiam ſit juſtum; tum quod ſalus Reipubl. ſuprema ubique lex eſſe debeat.

LXXVII. Cæterùm quæ hactenus diſſeruimus de mitigatione aut remiſſione pœnæ homicidii, ex magna aliqua cauſa profecta, non minus locum habebunt in aliis delictis, contra præcepta divina & naturalia commiſſis. Ita *e. gr.* blaſphemum à mortis pœna liberare poſſit, ſi protulerit ejuſmodi verba, quæ blaſphemiam quidem important; alio tamen ſenſu, & ex pravo uſu loquendi aut quâdam laſcivia (t) Adulterii quoq; pœna mitiganda videtur, ſi alter cōjux debitum conjugale præſtare vel non poſſet, vel nollet; item ſi furore vel lepra correptus eſſet, aliove morbo incurabili laboraret. Poſſet etiam mitigationem ſuadere error perſo-

(t) *Dn. Carpz. part. 1. qu. 45 n. 76.*

perſonæ, puta ſi concumbens cum alterius uxore neſciret eam eſſe conjugatam, illamque pro meretrice aut ſoluta fœmina haberet (u). Imò dicit *Dn: Carpzovius*, (x) non eſſe dubitandum, quin ſi velit, Magiſtratus, qui jura ſuperioritatis habet, in favorem partis innocentis ejuſque liberorum, aliave ex cauſa probabili reo Gratiam facere poſſit etiam in duplicato adulterio, ac pœnam mortis condonare, mitiùſque ſupplicium ſurrogare. Non enim putandum eſt, in legibus divinis omnem humanitatem juſtamque cauſam excludi, ita ut nullo caſu pœnæ ordinariæ remiſſio locum habere queat. Sed cùm hæc ulterius hic perſequi non liceat, remittimus amicum Lectorem ad eundem *Dn. Carpzovium*, ubi ſingula plenius pertractata reperiet.

(u) *Id: part. 2. qu. 61. n. 14. 21. 30 42. ſeqq.*

(x) *d. qu. 41. n. 65.*

LXXIIX. Hactenus de legibus divinis & naturalibus. Civiles ſeu humanæ dicuntur, quas Majeſtas civilis, aut is cui hoc jus ab ea conceſſum eſt, ſubditis ſuis obſervandas propoſuit. Poteſt autem ex diverſitate perſonarum, quæ quaſque leges tulerunt, facile judicium ferri de æſtimatione delictorum, quæ adverſum humanas, & quæ contra divinas ſeu naturales committuntur. Scilicet è dictis jam conſtat, quod in criminibus contra has ultimas, divinas & naturales commiſſis, non niſi rariſſimè Gratia locum inveniat. Cùm enim æternus & incomprehenſibilis ſit earum Legiſlator eaſque æternùm durare velit, æternas quoque & immutabiles has ſanctiones eſſe neceſſe eſt. Cùm qui eas tulit, ſit omnium Dominus, totique Mundo imperet, qui poterit mundana poteſtas, ut cœleſtis illius adminiſtra & vicaria, tantæ eſſe arrogantiæ, ut ejus imperata ſapientiſſima evertere audeat? Igitur quod potentiſſimus harum legum conditor à nobis fieri vult, ſtrictè oportet exſequi, nec reo contra has ulli veniam tribuere fas eſt. Excipio ſi fortè tanti ponderis cauſa ſe offerat, ut tutò dixeris, Deum ipſum

hunc caſum excluſum voluiſſe, ac ſi pręſens judicaſſet, reum abſoluturum fuiſſe. In purè civilibus autem legibus (nam quæ mixtæ ſunt priorum naturam ſequuntur) major Majeſtati humanæ poteſtas conceſſa eſt. Quoniam namque ex ejus voluntate harum pendet inſtitutio, nec derogatio earundem aut abrogatio ad alium ſpectabit. Igitur longè facilius & verè pro lubitu Principum Gratia pœnam in iis definitam remittet, neque hoc citra laudem, ſi remiſſio talis in nullius civium detrimentum tendat, aut aliàs commodum Reipublicæ magis, quàm animadverſio promoveat. Probat hoc idem ex *Bernhardo* incomparabilis *D. Calixtus* ſequentibus: *Vbi neceſſitas urget excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: Vtilitas, dico, communis, non propria. Nam quum nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Non verò quemadmodum Princeps ita & inferior Magiſtratus æquè ignoſcere poterit, cùm derogatio legum ejus arbitrio haud ſit relicta, licet ex æquitate quandam pœnæ moderationem adhibere queat. Sed de hoc ſupra actum fuit.

Epitom. Theolog. Moral. tit. de Legibus pag. 80.

LXXIX. Porrò autem in delicti alicujus æſtimatione non modo reſpiciendum eſt, contra quas leges commiſſum ſit; ſed oportet quoque ut ejus tum *materiale*, tum *formale* probè conſideremus. *Materiale* delicti eſt læſio ſeu damnum in perſonis vel rebus privato aut Reipublicæ illatum. Illud verò multò gravius reputatur crimen, quod Reipublicæ damnum infert, quàm quod privato alicui eſt nocumento. Majus item æſtimatur id, quod aliquem quoad bona animi lædit, quàm quod bonis corporis eſt exitio: & hoc tamen pejus adhuc eô eſt, quod bona fortunæ detrimento afficit. Peſſimum illud eſt facinus, quod non modò in bonis lædit, ſed etiam vitam hominis adimit.

LXXX. *Formale* delicti eſt actûs vitioſitas, quæ potiſſi-

tiſſimum ex agentis animo ponderanda venit. (y) Omnis enim qui peccat, peccat aut caſu fortuito, cui vix eſt ut ulla pœna imponatur; aut ſpontè, aut proæreticè. Ad peccatum ſpontaneum requiritur, ut à ſciente & volente ſit commiſſum. Sciens agere dicitur, qui actionis circumſtantias eſſentiales (circa quid, & cujus rei cauſa:) (z) habet cognitas. Ex quô apparet, quòd cum harum aliqua ignoratur, tum illa ignorantia, ſi modò ſit invincibilis, pœnæ mitigationem operari queat. Vide *infra cauſ. 19.* Voluntati autem alicujus obſicit vis & metus: undè prout major eſt vel minor vis & metus inferentis, magis vel minus excuſari peccatum aut puniri ſolet. Proæreticè tandem agit, qui ſponte agit, antehabita tamen deliberatione, ſeu qui ante de facto illo conſultavit. Et hujuſmodi delicta proæretica JCtis dicuntur *doloſa*, ſuntque perfecta, nec ſolet unquam, aut certè rariſſimè Gratia ipſis ulla concedi: uti Ddres paſſim teſtantur.

(y) *Dn. Struvius Syntagm. I. C. Exerc. 7. th. 31. quæ vide in ſeqq.*
(z) *Excell. Dni D. Meiner. in Prælect. privat. ad Ariſt. lib. 3. Nicom. c. 1.*

LXXXI. Benè aliàs etiam explicat *B. D. Horneius* quomodo ratio voluntarii augeatur vel minuatur: quô cognito facile quoque de gravitate vel levitate alicujus delicti judicium formari poteſt. Verba ejus cum ad rem noſtram faciant, aliqua ſaltim cum veniâ Lectoris huc tranſcribere placet. *Augetur*, inquit, *& minuitur ratio voluntarij prout quid fit vel ſine errore & vi perturbationum, vel per errorem & ob perturbationem: deinde prout propoſito voluntatis aliquid accedit & decedit. Maximè voluntarium eſt, quod nec errore ſeducti, nec vi affectuum abrepti, ipſi facimus. Ita agunt qui ex certa malitia quid faciunt. Sed & voluntarium cumprimis eſt, quod per affectum fit, ſi huic quis locum ultrò dedit, ut eò confidentius peccaret. Minus voluntarium eſt, quum vel errore deceptus quid agit, vel ex imbecillitate humana affectui alicui cum ingratiis ſuccumbit, ut ira aut amore*

Philoſoph. Moral. lib. 3 cap. 4. n. 27.

abreptus aliquid deſignet. Propoſitum voluntatis augetur & auget Voluntarium tripliciter, ob numerum, extenſionem vel intenſionem. Ob numerum, quum quis benè aut malè facere quid ſemel animo propoſuit, ſed tum non fecit, poſt iterum ſibi proponit & facit: ob extenſionem, quum ita quis quid facit, ut diu illud animo propoſuerit: ob intenſionem, quum ita facit, ut quò magis facit eò cupiat magis, quia majorem ex re illa voluptatem percepit, quam ante ſperaret, Thom. 1. 2. q. 20. art. 4. Atque hæc de æſtimatione delictorum dicta hîc ſufficiant. Ex quibus in genere notari poteſt, quod quò levius aliquod eſt delictum, & minori dolo commiſſum, eò faciliùs pœna ejus per Gratiam remitti queat. Sed & dicendum eſt, quod, licet quis ex propoſito deliquerit, ſi tamen jura divina non læſerit, & lege civili ſolùm teneatur, pœnam ei Princeps pro lubitu condonare queat, ut *præced. artic. 78.* dictum fuit: modò ſalus publica vel alicujus privati nullum indè damnum ſentiat.

LXXXII. Advertere tamen decet Principes circa ejuſcemodi pœnarum remiſſiones, ut, qui omnibus ferè rebus rectitudinem ſuam conciliat, modum obſervent, hoc eſt, non quemvis, nec quavis levi de cauſa, nec nimis frequenter à pœna liberent. Sciunt enim, ſe licet potentiſſimos, non tamen per omnia ſui juris eſſe, ſed divinæ juſtitiæ adminiſtros; neque ſuum, ſed Dei judicium exercere. Viderentur ergo de alieno largiri, ſi quibuſvis nocentibus maleficisque hominibus debita condonarent ſupplicia; non ſine offenſione Summi Numinis, cui tandem irato graves neglecti officii rationes reddere neceſſe haberent. Ne dicam, per culpabilem ejuſcemodi indulgentiam plures ad delinquendum invitari, & tum non rarò culpam in ipſum Principem derivari. Quo illud Morionis reſponſum pertinet, quod cuidam ex Regibus Galliæ dedit. Cum enim Rex

2. Paral. lip. 19. v. 6.

Philipp. Camerar 1. Hor. ſucciſ. c. ult.

Rex de quodam conquereretur, qui homicidii veniam petebat, ac diceret: Atqui jam tertium homicidium eſt. Quid ais, inquit, Domine? Imo primum duntaxat homicidium perpetravit, tu ſecundum & tertium. Nam ſi primi veniam illi non dediſſes, unicum illud commiſiſſet. Quamobrem rectius ſenſit Philippus Macedo, qui Harpalo pro Amico ſuo intercedenti dixit: Melius eſt, ut ipſe qui deliquit ignominiam ferat, quàm ego. Bias verò damnaturus quempiam ad mortem, lacrymatus eſſe dicitur. Cui cum quidam dixiſſet: quid eſt, quod defleas, cum in tuo arbitrio ſit hominem condemnare, aut liberare, reſpondit Bias: neceſſarium quidem eſſe naturæ condolere, à lege autem & Juſtitiæ diſcedere Regulâ, magis periculoſum videri. (a) Addere hic *Reinhardi Bachovii* (b) verba, cumque illis hoc membrum claudere lubet. Sic verò ille: *Si quæratur de atrocibus delictis, quæ communis etiam gentium ratio morte multari decernit, expeditiſſima reſponſio eſt, iure quidem poteſt ut is pænam remittere poſſe Principem, ſed ſi SAEPIVS & TEMERE id faciat Princeps, graviter eum peccare, & Deo rationem redditurum, quoniam ita agens Iuſtitiæ leges offendit, ipſum nocentem, & alios ſpe immunitatis ad delinquendum invitat, & Rempublicam ita graviter turbat.*

(a) ex Stobæo Serm. 44 Chriſtoph. Beſold. diſp. Polit. 3. claſſ. 1. th. 14.

(b) Volū. 2. in Treutl. Diſp. 30. th. 3. lit. G.

MEMBRVM V.

RECENSENTVR PERSONÆ QVIBUS, ET CAUSÆ, PROPTER QUAS GRATIA CONCEDI POTEST AUT SOLET.

CONSPECTUS.

83. *Tranſitio ad cauſas dandæ Gratiæ: has cumprimis eſſe obſervandas.*	84. *Malè à plerisq; cauſas ex Æquitate pænā mitigandi cum cauſis aggratiandi confundi-*

fundi: auctorem tamen ipſum certo conſilio eas quoquè promiſcuè tractaſſe.

85. *Cauſarum illarum alias eſſe veras ſeu probabiles, alius putativas ſive falſas. Probabiles cauſas deſumi à diverſis conſiderationibus illius qui deliquit: quæ proindè recenſentur.*

86. *Enumerantur nunc longo ordine veræ cauſæ ad dandam Gratiam impellentes: quarum quæq; ex initio ſuo conſpicitur.*

87. *Potiſſimas tantùm cauſas hic eſſe expoſitas, easq; omnes promiſcuè tractatas, tam quæ ex Æquitate quam quæ ex Gratia pœnæ mitigationem operantur.*

88. *Putativas adhùc reſtare. Inter illas reprehenſionem mereri conſuetudinem in Helvetia obtinentem, quâ Præſidis Provincialis uxor funem abſcindendo furem à morte liberat.*

89. *Vti quoq; vulgi morem, per quem reum de patibulo decidentem, vel uno ictu non concidentem, ſupplicio eximit, carnificem verò aberrantem lapidibus obruit.*

90. *Nec etiam venia dignum eſſe reum ideò quod è manibus lictorum elabatur.*

91. *Sed neque ob ſolennis diei celebrationem, vel currus Principalis apprehenſionē.*

92. *Poſſe autem abſolvi eum, qui optione accepta in profundam foveam explorandæ eius cauſa ſe demittere maluit, quam ordinarium ſupplicium ſubire, ſi ſcil. indè reverſus ſit.*

93. *Non poſſe Principem ſine cauſa Gratiam ſuam alicui impertire, ita ut Iuſtitiam non lædat: cum diſtinctione tamen.*

94. *Debere Iudicem cauſam mitigationis in ſententia exprimere: itidem cum reſtrictionibus.*

LXXXIII. Actum à nobis præcedente membro de objecto Gratiæ in abſtracto, hoc eſt, delicto, à quo abſolutio expetitur, ſimul expenſa ejus varia qualitate, quâ modò gravius modò levius reputari debet, prout adverſum leges vel

vel divinas vel humanas, itemque magis vel minus volun-
tariè admiſſum eſt. Nunc dicemus de objecto Gratiæ in
concreto, ſive ipſo delinquente, qui ad clementiam princi-
palem miſerabiliter anhelat. Hujus perſona, ut quæ & ipſa
variè ſe habet, tum extra actum vitioſum, tùm in illo con-
ſiderata, varias nobis cauſas ſubminiſtrat, quibus moti im-
perantes delinquentibus ignoſcere jure poſſunt. Et vero
cumprimis iſtas hâc in materia attendere oportet, ne quis
forte putaverit, poſſe Principem non injuſtè cuicunque li-
buerit, etiam citra cauſam Gratiam ſuam impertire. Nam
quoniam, inquit *B. D. Calixtus, per diſpenſationem eximi-* *Epitom.*
tur aliquis ab obligatione, quæ cæteris omnibus eiuſdem Rei- *Theol.*
publ. civibus incumbit, ſi id ſine bona & urgente cauſa fiat, per- *Moral.*
peram agit, qui diſpenſationem vel petit, vel concedit. Ni- *tit. de*
hilominus quod vi impetratæ diſpenſationis agitur, validum *LL. p. 80.*
eſt, nempe impedimento legis humanæ, quod unum obſtabat,
ſublato. Cæterum, ut diximus, iniquum fuerit, ſine legitima
cauſa unius conditionem meliorem, quàm reliquorum omni-
um, facere. Præterea, anne delictis ille favet, qui facino-
roſos ſine diſcrimine quoſcunque impunitos dimittit? &
ſocietatem humanam evertere conatur, qui bonos adver-
ſus improborum inſultus non tuetur? Alia mala ut modo
taceam, quæ tamen quis ſuopte judicio perſpicere poteſt.
Itaque Principes cautè hic agere convenit, ac in ignoſcen-
do arbitrium ſuum ad facti circumſtantias adſtringere, nî
divinæ juſtitiæ deſertores audire malint. Et valet hic illud,
quod de judice *Baldus* dicit, debere eum habere duplicem *in l. 2. n.*
ſalem, ſalem nempe ſcientiæ, ſine quô eſt inſipidus, & ſa- *7. C. de*
lem conſcientiæ, ſine quô eſt diabolicus. *ſentent.*

LXXXIV. Videmus autem fere omnes, qui argu- *ex peric.*
mento huic tractando manum adhibuerunt, dum Cauſas *recit.*
remittendarum pœnarū enarrant, ita ſe gerere, ut quamli-

bet.

bet etiam cauſam in delictis excuſantem, pro cauſa aggratiandi ponant. Ita v. gr dicunt, infantiam, furorem, phrenitidem & epilepſiam rei Gratiam mereri; & tamen illi ipſi ſtatuunt infantem, furioſum & ſimiles nunquam ex delicto obligari, nec pœnam aliquam incurrere: ſed, quæſo, annon ſibi invicem hæc repugnent, non poſſe puniri, & tamen ex Gratia pœnæ remiſſionem impetrare? Jam vero ſupra *art. 05.* principii loco poſuimus, quod ubicunque non ſit locus pœnæ, ibi nec ſit locus Gratiæ. Deinde ac ſi cum maximè pœnam aliquam incurrerent infans furioſus, phreneticus & Epilepticus, uti alii quoque, puta impubes, minorennis, decrepit[9]; melancholicus, fatuus, ebrius, noctambulus, &c. quos ab omni pœna non liberari certum eſt; attamen quilibet facilè intelligit, pœnam tum illis non ex Gratia mitigari; ſed ipſo jure, vel certè ex Æquitate: cùm aliàs iniuſtiſſimum foret, in eiuſmodi hominem ordinariâ pœnâ animadvertere. Ergò ſequitur, minus rectè illos auctores graves iſtiuſmodi qualitates pro cauſis Gratiam concedendi poſuiſſe, ut quæ longè minores eſſe ſolent, nec tantæ, propter quas ex Æquitate pœna temperari queat. Unicus, quod ſciam, *Reinholdus Meierus* (ſine dubio ex doctrina Nobiliſſimi ſui Præſidis *Dn. D. Eicheli*) diſcrimen animadvertit, quod inter cauſas ex Æquitate & cauſas ex Gratia pœnam mitigandi intercedit. Nam poſtquam omnes ordine enumeravit, ita loquitur: (a) *Nonnullas earum prorſus non excuſare, aut ſi mitigationem quandam indulgent, ex gratia potius, quam iuſtitia fieri, quod demum ius aggratiandi eſt, meritò arbitramur.* Et alibi: (b) *Quamvis verò longiſſimè differant, pœnam remittere ex iuſtitia, & ex gratia, quum prius illud etiam ab inferiori Magiſtratu; hoc non niſi ab eo qui iura ſuperioritatis habet, fieri poſſit. Porrò inter cauſas, quas ſupra attulimus, nonnullæ ex gratia, nonnullæ ex iuſtitia proficiſcantur; de quibus tamen promiſcuè egimus. Eas verò &*

Vid. Tiraquell. d. tr. de pœn. temp. aut remitt. cauſ. 2. n. 2. Carpz. part. 3. qu. 143. n. 9. & qu. 145. n. 9. ſeqq Claſen. d. tr. c. 13 pag. 135. ſeq. Adam. Cortrei. d. diſp. de iur. aggrat th. 19. ſeqq.

(a) *d. diſſert. de remiſſ. pœnar. th. 53.*

(b) *th. 63*

ro & remiſſionem ex gratia & juſtitia operari poſſe ex principiis præmiſſis eſt evidentiſſimum. Nos tamen, ne fortè innovando majores aliis haberi velle immeritò cuiquam videamur, ne etiam ordinem apud Ddres hactenùs receptum mutilemus aut turbemus, haſce cauſas itidem promiſcuè & citra omnem reſpectum, num ex Æquitate, num verò ex Gratia remiſſionem operentur, tractabimus: hoc interea annotaſſe ſufficiat.

LXXXV. Igitur inter cauſas illas aliæ juſtæ ſunt, probabiles & veræ; aliæ putativæ ſive falſæ, quæ tamen propter inveteratum uſum in conſuetudinem alicubi locorum jam abierunt. De illis primô locô erit agendum, has deindè ſubjungemus. Juſtæ verò probabilesque cauſæ aggratiandi, prout etiam ſub initium hujus membri monuimus, utplurimum deſumuntur à perſona ipſius delinquentis: nã uti variè hic ſe habet, ita varia quoque, modò major, modò minor pœna ipſum manet. Conſiderari autem poteſt reus (1) *ratione* ætatis, nempe quod vel infans ſit, vel juvenis, vel vir, vel ſenectute jam confectus: quò ſpectat *cauſa 1. & 2.* (2) conſideratur *ratione* Sexus, ſcilicet ſitne mas, an fœmina, an hermaphroditus ſive androgynus: quò *cauſa* 11. pertinet. (3) conſideratur *ratione* Corporis; an ſc. ſit mutus vel ſurdus, æger vel ſanus: quò reducenda eſt *cauſa 3. & 8.* (4) conſideratur *ratione* animi, quod ſit vel furioſus, vel fatuus, vel ſanæ mentis: item deliquerit vel dolo, vel culpa: quò & affectus ſpectant, amor, ira & ſimiles. Referuntur hùc *cauſa 4. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 19. 20. 23. 29.* (5) conſideratur *ratione* dignitatis & officii: nam aliter puniri debet Nobilis, vel aliâ in dignitate conſtitutus; aliter plebejus. Item advertendum eſt, ſi quid officii & adminiſtrationis ratione quis peccaverit; an extra illam: quò

 perti-

pertinet *cauſa 14 & 15.* (6) conſiderari debet *ratione* fortunæ, nempe an ſit dives, vel pauper: cùm quidam ex indigentia & neceſſitate famis, ſitis, frigoris, quidam citra eam delinquant, ac proindè nullam mereantur miſericordiam. Spectat hùc *cauſa 17.* (7) conſideratur *ratione* alterius cujuſdam qualitatis, accidentis, aût circumſtantiæ: quò reliquæ omnes *cauſæ* ſunt reducendæ; puta *15. 18. 21 22. 24. 25. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 33. 34 35.* Atque hi ſunt potiſſimi reſpectûs, qui cauſas Gratiam faciendi in ipſo delinquente ponunt. Fit autem non raro imo fieri debet, ut reſpectus etiam ad Rempublicam habeatur, ac ab ejus commodo vel incommodo cauſa remiſſionis deducatur, qualis eſſet, ſi per factum aliquod non multum damni eſſet allatum Reipubl. plus autem commodi ſperari poſſet, ſi reus in vivis ſervaretur: item ſi delictum in paucorum notitiam perveniſſet, ac civitas hoc tempore tali homine opus haberet. Permiſtim vero tam tollendæ, quàm mitigandæ pœnæ cauſas enarrabimus, & ſi non omnes, potiſſimas tamen, eaque brevitate, quam tempus & inſtituti ratio permittit.

LXXXVI. CAUSA I. eſt

Ætas tenella, quæ ab Interpp. triplex ſtatuitur: *Infantia, Impubertas, & Minorennitas.* Infantiam durare dicunt uſq; ad annum ætatis VII. (a) incluſivè: ætatem impuberẽ in maſculis uſque ad annum XIV. in fœminis ad XII. uſq; completum (b): Minorennitatem vero finiri anno XXV. de jure

(a) *l. 18. C. de iur. delib. gloſſ. in §. pupillus. verb. infans. I. de inutil. ſtipul. Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæſt. lib. 2. caſ. 57. n. 2. 7. Proſp. Farin. in prax. crimin. lib. 3. qu. 92. n. 3. Petr. à Plach. in Epit. delict. cap. 32. n. 2. Bartol. in l. 1. n. 6. D. de novat. cit. Dn. Carpz. d. loc. qu. 143. n. 6* (b) *pr. I. quib. mod. tutel. finiat. cap. 1 & 2. X. de delict. puer. Menoch. d. caſ. 57. n. 2. Farin. d. qu. 92. n. 18.*

jure Saxonico xxI: (c) abindè dici majores tùm in peragendis negotiis, tùm in patrandis delictis. Pro diverſis verò his ætatibus diverſæ quoque caſtigationes oriuntur. Et de *infantibus* quidem clarum eſſe poteſt, eos ex nullo delicto obligari, indeque à pœna immunes eſſe, prout hoc etiam Ddres ferè omnes approbant, quos longo agmine adducit & ſequitur *Dn. Carpzovius* (d quem Lector videat. Nec ratio in obſcuro eſt Namque ubi dolus & propoſitum delinquendi non adeſt, ibi nec delictum eſt, nec delicti pœna locum invenit. (e) Atqui in infantibus cũ abeſſe quilibet forſan concesſerit: ergo ſequitur, nec Infantes delinquere, nec proindè aliquam pœnam incurrere poſſe. (f) Ac licet nonnunquam inſignis nequitia apud pueros reperiatur, quo & caſus mirabilis ſpectat, quem *Proſper Farinacius* refert (g) de infante quodam quinque annorum, quem è manibus Parentum propter aſſiduas infantis blaſphemias à Diabolo ereptum fuiſſe tradit. Ipſe tamen *Farinacius* dicit, ejuſmodi rariſſimos caſus in conſequentiam non eſſe trahendos: imo ex aliis ibidem oſtendit Diabolum infantem illum ſurripuiſſe in odium, pœnamque Patris non corrigentis filium, potius, quàm ipſius infantis, in quô propter ætatem nulla adfuerit doli capacitas. Statuunt tamen infantes ſi delinquant, â Parentibus Præceptoribuſque ferula eſſe puniendos: imo laudatus *Dn. Carpzovius* (h) putat, ſi judex animadvertat in aliquo qualem qualem malitiam & doli alicujus capacitatem, quod arbitrariè, & ſi non ſeveriori quadã pœna, in carcere tamen pro ratione delicti virgis eum caſtigare debeat: *Ubi etiam Reſponſum adducit Dnn. Scabinorũ Lipſienſium* an die Bünauiſche Gerichte zu Elſterberg *M. Januar.*

(c) *tot. tit. D. de minorib. 25. annis. & citati auctor. vid. Schneidew. ad §. minorem. 4. I. de adopt. Excell. Dn. Struv. Syntagm Jur. Civ. Exerc. 8. th. 42. Dn. Carpzov. d. loc. n. 60.* (d) *cit. qu. 143. n. 10.* (e) *ut probat Jur. l. 53. pr. D. de furt. l. 33. D. de injur. & eleg. l. 1. C. ad L. Cornel. de ſicar.* (f) *l. 23. D. de furt.* (g) *d. qu. 92. n. 48. ex Gregor. cap. 29. lib. 4. Dialog. & illum allegans Dn. Carpzov. d. loc. n. 19.* (h) *d. loc. n. 19.*

ntir. A. 1529 Hat ein Knabe von 7. Jahren / C. S. genant/ ſeinen Eltern Gänſe uf einem Acker gehütet / und gegen Abend mit einem Steine an einen Birnbaum geworffen/ und alß M. G. Sohn / Hanß genandt/ ſolches in ſeines Vatern Garten geſehen / und denſelben mit dieſen Worten abgemahnet / Er wolte es denn jenigen / ſo der Baum zuſtändig / ſagen/ hat C. S. einen Stein genommen / und nach gedachtem H. G. geworffen / ihn auch an rechten Schlaff getroffen/ daß er alßbald zu ſeines Vaters Hauß gelauffen und geſchrien/ N. S. Sohn hette ihn mit einem Steine geworffen/ welches aber die Eltern anfänglichen nicht groß geachtet / Nach deme es aber Eſſens zeit worden/ und der Junge nicht eſſen können/ ſondern ſich zu Bette gelegt / iſt gegen Mitternacht die ſchwere Noth darzu geſchlagen/ und er umb 12 Uhr Todes verfahren/ ꝛc. So wird C. S. ſolcher ſeiner Verbrechung wegen mit Ruthen ziemlicher maſſen gezüchtiget / und wenn ſolches geſchehen / mag wieder ihn ferner nichts fürgenommen werden / V. R. W. Et ita res ſe habet de Infantibus. *Impuberes* autem, doli capaces, delictis quidem obligari ajunt, ordinaria autem pœna non puniri debere, ſed extraordinariè, ac ad arbitrium iudicis. (i) Doli capaces, diximus: quod enim impuberes infantiæ proximos ſpectat, cum dolo adhuc careant, infantibus æquiparandi omniq́ue pœna liberandi videntur: (k) ſecus ac pubertati proximi; qui cum regulariter doli ſint capaces iudicioq́ue non carent, ideoq́ue intelliguntur delinquere, ac pœna arbitraria puniri poſſunt. (l) Tales autem ſunt relegatio, carcer, & mulcta pecuniaria. Sed quæro, num etiam aliqua ſeveriori? Sanè ſi delictum ſit atrocius, idq́ue malitia delinquentis ſuadeat, quæ ſæpè ſolet ætatem ſupplere, etiam ad pœnam corporis afflictivam deveniri, reumq́ue publicè fuſtigari poſſe D. res ſtatuunt. Imò licet impuberes regulariter capitali ſint

(i) *Farinac. d. qu 92. n. 50. Andr. Tiraquell. d. tr. cauſ 7. n. 6. Carpzov d. qu. 143 n. 22. cũ authorib ibi alleg.* (k) *arg.* §. *pupillus. l. de inutil. ſtipulat. l. 3* §. *1 D. de iniur.* (l) *d. l. 23. D. de furt. l. 14. D. de SC. Silaniã, quẽ textum mirandum appellat Tiraqu. d. loc. n. 6.*

ſint exemti ſupplicio, poterit tamen etiam mortis pœna ei iuſtè infligi, cui depravata eſt indoles & ſupina malitia. Quod enim verba ſanctionis Carolinæ de crimine furti pronunciant, quin idem ad delicta furto graviora trahendum ſit, nemini dubium eſſe debet. Loquitur autē hunc in modū Imperator: (m) Wo der Dieb nahe bey vierzehen Jahren alt were / und der Diebſtahl groß / oder obbeſtimmte beſchwerliche Umbſtände ſo gefährlich darbey gefunden würden / alſo / das die Boßheit das Alter erfüllen möchte: So ſollen Richter und Urtheiler deßhalben auch (wie hernach gemeldt) Raths pflegen / wie ein ſolcher junger Dieb an Guth / Leib oder Leben zuſtraffen ſey. Ex quibus verbis *Dn. Carpzovius* (n) tria hæc elicit neceſſaria, ad hoc, ut pœna mortis in impubere locum habeat, videlicet 1. ut impubes propè impleverit annum XIV: 2. ut malitia eius ſit ſupina, ætatis defectum ſupplens, adeò ut nulla ſit ſperanda correctio: 3. ut crimen perpetratum ſit ex atrociſſimis, aut circumſtantiæ tales concurrant, quibus delictum aggravetur. Quorum unum ſi abſit, impuberi delinquenti mortis pœnam infligi non poſſe exiſtimat. Sed quid tandem de *minoribus* eſt dicendum? *Scriptor ad Herennium* (o) ſeveram de iis fert ſententiam: *Qui adoleſcentium peccatis*, inquit, *ignoſci putant oportere, falluntur: propterea quod ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcenteis maximè caſtigant, ut, quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima velint comparare.* Contra *Tullius in Oratione pro Cælio*, (p) quem propter ætatem quoq; conabatur defendere, diligentiſſimè eorum cauſam agit. Inter alia hæc habet: *quidem multos & vidi in hac civitate, & audivi, non modo qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent: ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dedidiſſent, emerſiſſe aliquandò, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recepiſſe, graveisq; homines, atq; illuſtreis*

(m) *Ord. crim. artic. 164.*

(n) *d. loc. n. 52. ſeqq.*

(o) *lib. 4 §. 24.*

(p) §. 28.

 fuiſſe

fuiſſe. Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent. Ac iterum: (q) *Detur aliquid ætati: ſit adoleſcentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio: vincat aliquando cupiditas, voluptasq́ rationem* &c.

(q) §. 42

Spectant huc *Senecæ* verba: (r)

(r) *in Octav. Act. 1. Sc. 3.*

Iuvenilis ardor impetu primo furit:
Langueſcit idem facilè, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammæ vapor.

Rem hanc omnem multis præclariſſimisque exemplis illuſtrat *Valerius Maximus lib. 6. cap. 9.* Exindè verò exſtruit *Tiraquellus* tres potiſſimum rationes, propter quas adoleſcentes mitius ſint puniendi 1. quoniam adoleſcentia eſt quaſi ſuapte natura proprium & peculiare vitiorum irritamentum: 2. quia huic ætati nondum eſt plenum judicium firmumque agendi conſilium: 3. quia ſpes eſt, eos emendatiores futuros, vitiaque cum adoleſcentia depoſituros. Sed quis non videt, omnia hæc ſcholam magis Oratorum quam JCtorum olere, & eſſe ad perſuaſionem quàm probationem aptiora? Ideoque vera Ddrum aliorum concluſio eſt tenenda: quod regulariter minores mitius puniri non debeant. Hoc ipſum enim diſertis verbis vult *L. auxilium. 37. D. de minor.* ibi: *In delictis autem minor annis viginti quinq́ non meretur in integrum reſtitutionem, utiq́ atrocioribus: niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit.* Ubi *Dn. Carpzovius* dicit, notandam eſſe particulam *Interdum*, quæ ſatis probet, regulariter minoribus pœnam non eſſe mitigandam. Cui conſona eſt *L. ſi ex cauſa. 9. §. 2. D. d. t.* quæ expreſsè dicit: *Et placet in delictis minoribus non ſubveniri.* Diſertius adhùc

L. 1.

*L. 1. C. ſi adverſ. delict. In criminibus quidem ætatis ſuffragio minores non iuvantur. etenim malorum mores infirmitas animi non excuſat:** Quò etiam facit quod dicitur, deceptis, non decipientibus & doloſè delinquentibus eſſe ſubveniendum. (s) Licet verò dicas, non tantum dolum in minoribus, quam majoribus reperiri; dolo tamen omni certè non carent: ſufficit autem talem adeſſe, qui ad infligendum mortis ſupplicium aliàs requiritur. Hæc vero, uti omnino ſunt certiſſima; non tamen per ea Judici adimitur omnis poteſtas mitigandi pœnam minori. Quód clarè *d. l. 37. D. de minorib.* indicat verb; *Niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem produxerit.* Undè & in delictis, cumprimis atrociſſimis, ordinarium ſupplicium iis in pœnam gladii converti poteſt, ubi cauſa probabilis adſit, qualis eſſet ſi nuper pubes factus fuerit delinquens, vel ſupinam adhuc malitiam declinaverit. In aliis quoque criminibus, veluti homicidio, adulterio, furto, minorennitatis cauſa pœnam conſuetam in fuſtigationem relegationemve converſam eſſe, ſæpiùs ſe obſervaſſe teſtatur *Dn. Carpzovius* (t): imo in graviſſimis quoque delictis non ſaltim ordinarium ſupplicium minori mitigatum; ſed ipſam mortis pœnam remiſſam, & fuſtigationem ſubſtitutam fuiſſe: ne ſtatim periret, quem ſimplicitas ac imbecillitas conſilii juvare poſſet.

* *add. l. 2. C. d. t. l. 36. D. ad leg. Jul. de adult.*
(s) *l. 2. §. 3. ad SC. Velleian.*
(t) *d. loc. n. 87.*

CAUSA II. eſt

Senectus, quâ de tamen Ddres non eandem fovent ſententiam Maxima eorum pars in ea quidem eſt opinione, ac ſi ſenibus ſemper mitiganda ſit pœna, uti videre licet apud *Tiraquellum* (u) & *Dn. Carpzovium* (x), qui longa ſerie illos referunt. Sed forſan non adeo firmo ſtat talo hæc eorum ſententia (y): ideo cum illis potius facimus, qui pro regula ponunt: quod Senectus regulariter à pœna neminem excuſet. Etenim cum nullibi diſertè excepti reperiantur,

(u) *d. tr. cauſ. 8. n. 1.*
(x) *qu. 144. n. 1.*
(y) *Vid. Dn. Carpzov. d. qu. 144. n. 15. & ſeqq. ubi etiam ad obſtant. ll. reſpondet.*

quis

quis ſuo arbitrio veniam eis tribuere audeat? (z) Sed & cùm experientia ſint inſtructi, cum uſu rationis polleant, & hinc ſapientiores multo ſint junioribus, magis quoque iis convenit ſibi à transgreſſione legis cavere. Quod ſi vero delinquant, quia hoc in illorum perſona gravius reputatur, gravius quoque puniendos eſſe, forſan non malè quis putaverit. (a) Nihilo tamen minus cum plurimi illorum inveniantur infirmo & debili admodum corpore, dicendum erit, pœnas ſaltim capitales & arbitrarias eis non remitti; pœnas vero corporis afflictivas, fuſtigationem puta aut manus amputationem, cum ſine periculo vitæ has ſuſtinere nequeant, in ſenibus non locum invenire. (b) Undè etiam eſt, quod ſenes ætate defecti tormentis non debeant ſubjici. (c) Quod tamen non de omnibus promiſcuè ſenibus eſt accipiendum; ſed de illis ſolùm, qui ob virium infirmitatem ejuſmodi talia perferre non valent. Qui enim robuſti atque ſani reperiuntur, illi non magis atque juniores tormentis quæſtionibusque ſunt exemti, ac pœna quacunque corporali affligi poſſunt. (d) Deindè vero quod diximus, ſenes regulariter à pœna non excuſari, illud eadem ratione limitandum eſt in iis, qui propter ætatem decrepitam ſenſu & intellectu defecerunt. Tales enim cur puniveris, qui mentis potius alienatione, quàm ex propoſito peccare videntur? (e) Quadrat hùc quod *Euripides in Bacch.* ait:

Veſtram ſenectam video mentis indigam.

Et *Plautus in Mercatore*: (f)

Senex quom extemplo eſt, iam nec ſentit, nec ſapit:
Aiunt ſolere eum rurſum repueraſcere.

Atque

(z) *l. diſſentientis. 5 C. de repud. c. is qui in Eccleſiis. 18. de ſent. excomm. in 6.* (a) *Sfort. Odd. tr. de reſtit in integr. part. 2. qu. 80. n. 116.* (b) *Proſp Farinac. d. qu. 92. n. 26. Cortrei. d. diſp. th. 53.* (c) *Dn. Carpzov. d. qu. 144. n. 27. & author. ip. eund. citat.* (d) *Franc. Caſon. in tr. de torment. cap. 11. n. 12.* Hippol. *de Marſil. ad l. 8. num. 15. D. de quæſtion. Iohann. Zanger. tr. de quæſt. & tortur. c. 1. n. 39.* (e) *l. 3. §. 7. D. de SC. Silanian. l. 2. D. de term. moto. vid. Carpzov. n. 18.* (f) *Act. 2. Sc. 2.*

Atque exindè fieri putatur, quod ſenes pueris mirè delectentur, tanquam ſimilibus. Pertinet hùc non inelegans ſenii cum ætate prima comparatio, quam vir doctiſſ. *Andreas Tiraquelius* (g) ex *Eraſmo* adducit. *Primùm*, inquit, *redit albor, ſimul & raritas capillitij, quorum utrumq; pueris familiare, deindè balbuties, veluti altera infantia: præterea gingiva exarmata dentibus, aut certè perpaucis, & eis vacillantibus inſtructa, quod & ipſum infantibus commune: Quin etiam ſenibus omne corpus ad puerilem modum decreſcit, conſimilis virium imbecillitas, iam verò cibi quoq; conſimiles utriq; ætati congruunt. Poſtremò morum ineptia, levitas animi, & hoc ipſum nihil ſapere in ſenibus, infantiam quandam referre videtur.* Cauſa hujus defectus eſt defectus calidi innati & humidi radicalis in ſenibus: (h) & dicunt Phyſici, puerorum & ſenum ætates convenire: in illis ſiquidem, ſi eſt ſanguis, nondum eſt calidus, in iſtis verò jam frigidus eſt. (i) Non tamen putandum eſt, quaſi ejuſmodi ſenes ab omni ſtatim pœna ſint abſolvendi; licet enim debiles illi ſint & deliri, tamen adhùc pœna arbitraria poterunt puniri: non obſtante *l. 3. §. 7. D. de SC. Silanian.* ibi enim *Ignoſcere* idem quod, pœnam ordinariam remittere, valet. (k) *Vnde Dnn. Scabini Lipſienſes A. 1630. M. Febr. Henrico ab* Alnpeck in Dörrenthal *h. m. reſponderunt:* Iſt D. W. einem Witwer ſeine Stieff-Tochter von ſich zuthun/ und abzuſchaffen aufferleget worden/ dieweil Er ſich aber deſſen verweigert / hat er / uffn fall der mit derſelben etwas ungebührliches zu thun haben würde / aller ſeiner Güter verfallen zu ſeyn verwilliget / auch hernach ferner noch hundert Gülden hierüber Straffe zu geben versprochen / deſſen ungeachtet aber / hat er ſich zü ihr gefunden / mit ihr zu thun gehabt / und ſie geſchwängert / in meinung ſie gäntzlichen zu ehlichen / inmaſſen er ſich denn hin und wieder deßwegen Raths erhohlet und bemühet / darauff er auch zuge-

(g) *d. ceuſ. 8. n. 3.*

(h) *Galen. in lib. r. quod anim. mores c. 5. Senert Pract. dicin. lib. 1. p. 2. c. 5. Cortrei. d. th. 53.*

(i) *Tiraquell. d. cauſ. 8. n. 6.*

(k) *Farinac. d. qv. 92. num. 35. n. 36. & 37.*

fahren / und ſich mit einem Stich / ſo er ihme ſelbſten mit einem Meſſer zugefüget / umbbringen wollen / und als er D. W. und ſeine Stiefftochter darauff vernommen worden / haben ſie ſolches nicht in Abrede ſeyn können / ſondern daſſelbe bekandt und geſtanden / etc. So werden ſie ſolcher ihrer Verbrechung wegen / alle beyde mit Staupenſchlägen des Landes ewig billich verwieſen. Seiner Güter aber hat ſich D. W. nicht verluſtig gemacht: Ihr woltet ihnen denn in anſehung / daß ſie beredet worden / alß könten ſie ſich mit einander zuverehlichen diſpenſation erlangen / D. W. auch in die ſechzig Jahr alt / etwas Kindiſch und gebrechlich iſt / Gnade erzeigen / uff ſolchen fall möchte ihnen der Staupenſchlag erlaſſen / ſie aber nichts weniger des Landes ewig verwieſen / auch die Ehe zu vollenziehen ihnen keines weges nachgelaſſen werden. V. R. W.

CAUSA III. eſt

ADverſa Valetudo ſive Morbus. Primus hunc inter cauſas aggratiandi, uti fatetur ipſe, retulit *Dn. Carpzovius* (a), quem *Adamus Cortreius* ſecutus eſt. (b) Neque verò malè pro tali reputatur. Quod ſi enim ſenibus ob corporis debilitatem pœnæ corporales remittuntur, ne fortè cruciatus ſuſtinentes planè exſtinguantur; cui non eſt perſpicuum, hanc rationem non minus obtinere in ægrotis, ut qui longè majori ſæpè infirmitate laborant? At verò conſtat, quod ubi eadem eſt ratio, eadem quoque ſit juris diſpoſitio. (c) Deindè cùm pœnæ corporis afflictivæ ac tortura æquè graves habeantur (nam nec obtinet hæc niſi in delictis pro quibus mortis ſupplicium vel pœna corporalis infligenda venit; (d) & verò ægrotus tali morbo laborans, qui ulterioris cruciatus eſt impatiens, torturæ ſubjici nequeat, (e) ſequitur quod tali nec pœna corporis afflictiva poſſit

(a) *d. qu. 144. n. 40*

(b) *d. diſput. th. 53.*

(c) *l. 32. D. ad Leg. Aquil. cap. inter corporalia. 2. X de tranſlat. Epiſcop.* (d) *ut probat Dn. Carpz. qu. 119. n. 7. multis allegatis Ddribus VVeſenbec. π. D. de quæſtion. n. 5.* (e) *Henr. Bocer. tr. de quæſtion. & tortur. cap. 4. n. 23. Franc. Caſon. tr. de torment. cap. 10. n. 8. Dn. Carpz. qu. 118. n. 46. ſeqq.*

poſſit dictari. *Hinc eoſdem Scabinos A. 1615. M. Julio Prætori & Scabinis Dreſdenſibus in hunc modum reſpondiſſe legimus:* So wird er ſolcher ſeiner Verbrechung wegen / mit Staupenſchlägen des Landes ewig billich verwieſen: Man wolte ihme denn (wann er es für eine Gnade erkennen / auch darumb demütig bitten würde / und weil es ſonderlich mit ſeiner angezogenen Kranckheit der ſchweren Noth alſo beſchaffen / daß dieſelbe ihme bey execution des Urthels leichtlich wieder anſtoſſen und dadurch ſchwerer gemacht werden könte/) den zuerkandten Staupenſchlag auß Gnaden erlaſſen/ uff den fall würde er mit ewiger Landes Vorweiſung billich geſtrafft/ V. R. W. Notabiliter autem ad pœnas corporales hæc remiſſio reſtringitur; quod enim capitales ſpectat, nihil obſtat, quominus hæ rectè infligantur. Imò accelerabuntur potius, ne forte contingat mortem naturalem pœnam prævenire, ac ſententiæ executionem impedire. Quod ſi autem morbus ſit ejuſmodi, qui facilè curari queat, ne quidem corporalem pœnam temperari fas erit, ſed tantiſper differenda pœnæ executio, uſque dum priſtinæ ſanitati reus fuerit reſtitutus. Suadet enim publicum commodum, pœnas reis non alias quam jure definitas irrogari. Eodem modo & differenda pœna eſt, ſi mulier rea in utero geſtet, uſque dum illa enixa, & ſex ſeptimanæ præterlapſæ ſint. Sed & poſtea corporalis pœna ei attemperari debet, ne infanti lactenti per eam alimenta detrahantur. (f)

CAUSA IV. eſt

MEntis inſania ſive Furor. De quô apud omnes conſtat, furioſum nec ex delicto ſuo obligari, nec pœnam aliquam incurrere. (a) Idque tum textibus Juris, tum

 etiam

(f) *Dn. Carpz. d. qu. 144 in fin. & qu. 137. n. 31. & 32. Magnif. Dn. D. Hahnius in obſerv. ad VVeſenb. π. D. de pœn. ſub n. 6.* (a) *Tiraquell. cauſ. 2. n. 1. & ſeqq. Petr. Theodoric. Colleg. Crim. diſput. 1. th. 4. lit. H. Gail. 2. obſerv. 110. n. 20. Dn. Carpz. qu. 145. n. 1. & ſeqq. cũ authorit. ibi citat. Dn. Claſen. d. tr. c. 13. p. 135. Cortrei. d. diſp. th. 19. ſeqq.*

etiam rationibus facile probatu eſt. Illud enim quod ſpectat, diſertè hoc diſponitur in *L. infans. 12. D. ad Leg. Cornel. de Sicar. L. pœna parricidij. 9. § 2. D. de Leg. Pompei. de parricid. L. Divus Marcus. 14. D. de off. Præſid. L. apud Ariſtonem. 61. in fin. D. de adminiſtr. & pericul. tutor. c. Indicas Hermannum. 14. cauſ. 3. qu. 9 c. aliquos. 5. cauſ. 15. qu. 1. Clement. unic. de homicid. volunt. vel caſual.* Neque rationes obſcuræ eſſe poſſunt. Quoniam enim in tali homine intellectus & appetitus ſunt corrupti, vera actionum noſtrarum principia, itaque nec conſilium peccandi aut προαίρεσιν habere dici poterit, nec actiones ipſius humanæ erunt, ſed hominis, ut loquuntur Philoſophi. Indeque nulla furioſi voluntas eſſe dicitur (b): at verò maleficia voluntas & propoſitum delinquendi diſtinguit: (c) nec in iis exitus ſpectatur ſed voluntas. (d) Nam, ut *Auguſtinus* inquit, (e) *uſq; adeò peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo peccatum ſit, ſi non ſit voluntarium.* Deindè ſi infans ex delicto neque obligatur, neque puniri poteſt, uti hoc *cauſa 1.* monſtratum dedimus, ſequitur nec furioſum pœnam aliquam incurrere, quia utriuſque eadem eſt ratio, ut qui etiam in delictis planè æquiparantur ac conjunguntur (f). Adhæc furioſus abſentis in jure & quieſcentis ac ignorantis loco habetur (g): imò mortuo aſſimilatur (h): at pœna in tales ferri nequit: (i) ergo nec furioſo aliqua debetur. Tandem verò cum *Ma-*

(b) *l. 40. de R. I. l. 47. D. de acquir. vel omit. heredit.*
(c) *l. 53. D. de furt. vide etiam l. 39. d. t. l. 1. §. 3. l. 7. D. ad*

cro

Leg. Cornel. de Sicar. Gail. d. obſ. 110. n. 20. (d) *l. 14. D. ad Leg. Conel. de ſicar.* (e) *c. 1. cauſ. 15. qu. 1. quem locum vide.* (f) *l. infans. 12. D. ad Leg. Cornel. de ſicar. Ord. Crimin. art. 107. verb.* der Jugend oder ander Gebrechligkeit halber wiſſentlich ſeine Sinne nicht hette. *Clement. unic. de homic. volunt.* (g) *l. 2. §. 3. D. de iure codicillor. l. 124. §. 1. de R. I. l. 17. §. 11. D. de iniur. l. 4. D. de divort.* (h) *l. 24. §. 1. D. ratam rem haberi. l. 14. D. locat. conduct.* (i) *l. 5. pr. D. de pœn. l. 1. D. de requir. vel abſent. damnand. l. 6. D. de public. iudic. Tiraquell. cauſ. 3. n. 2. & 3. Schneidevv. ad §. præterea. I. quibus non eſt permiſſ. fac. teſtam. n. 7.*

tro & *Modeſtino* JCtis (k) argumentari licet, cùm furioſus furore ipſo ſatis ſit punitus, non debere illum ulteriori pœna affligi; aliàs afflicto major adderetur afflictio, quod fieri haud debet: certè enim furorem per ſe magnam eſſe afflictionem, nemo negabit. (l) Benè iſthæc omnia confirmantur *dd. Scabinorum pronunciato ad requiſitionem* Johann Schneidewins/ Vorwalters zu Schönfelß *M. Julio A.* 1631. Iſt den 20 April. jüngſthin/ Adam Frankens Scheune durch eine Feuersbrunſt verderbet/ und in die Aſche geleget worden/ und es wird dem Gefangenen T. F. daß er ſolch Feur angeleget/ ſchuld gegeben. Ob nun wohl durch die vermittels Eides abgehörte Zeugen erwieſen und beybracht worden/ daß er ſich darzu bekennet/ und an ſolcher Bezüchtigung nicht unſchuldig ſey. Dieweil aber dennoch auß ſeinen Reden/ ſonderlich aber auß des Herrn Medici Bericht ſo viel zu vernehmen/ daß er nicht bey rechter Vernunfft und Verſtande/ Inmaſſen er denn vor dieſem mahl an Ketten gelegt werden müſſen/ etc. So mag er auch mit einiger Straffe nicht belegt werden. Er wird aber gleichwol von ſeinen nechſten Freunden und Anverwandten/ an einem abſonderlichen Orth in guter Verwahrung enthalten/ damit er weder ihme ſelbſt/ noch andern Leuten ferner keinen Schaden zufügen könne/ V. R. W. Neque verò quæ diximus ſaltim obtinent eo caſu, quo furioſus in ipſo furore deliquit, ſed valent etiam ſi peccaverit, cùm adhuc ſanæ mentis eſſet, & poſtmodum furor eum invaſerit? Nam durante hoc neque capitalis pœna neque corporis afflictiva ipſi dictari poterit, ſed differenda eſt tantiſper executio, dum ſana mens ipſi ſuperveniat. Ac dicàs licet, inſaniam hancce tum demum impunitatem afferre, cùm ipſa cauſam dedit delicto, crimen autem ſana mente commiſſum omnino vindicari debere: nihilo tamen minus moribus noſtris non eſſe receptum, ut furioſus de delicto ante patrato ſaltim furoris

(k) *l.* 14. *D. de offic. Praeſid. l. 9.* §. 2. *D. de Leg. Pomp. de Parricid*

(l) *Nicol. Reuſner. lib.* 2. *deciſ.* 16. *n.* 10.

tempore pœnam patiatur; multi ex DDribus (m) teſtantur, ob rationes modò adductas. Itaque conſultius cenſent, pecuniariam non capitalem pœnam in ipſum ſtatui (n). Circa ea tamen, quæ modò diximus, quædam notari merentur: & *primo* quidem, quod fundans ſe in furore, eum probare teneatur. (o) Neque enim cuilibet alleganti furorem ſtatim credendum eſt & pœna remittenda: cum quilibet homo ſanæ mentis præſumatur: & hæc præſumtio eſt maximè ſecundum naturam, ut quæ homines ſana mente præditos in lucem edit. (p) Verùm quia res difficilis eſt probatio; ideò ſuadet *Dn. Carpzovius* (q), ut Judex præſertim de ſimulatione ſuſpicans non modò teſtes ſuper ſigna exteriora, geſtus & facta furioſi examinet; ſed etiam peritum Medicum adhibeat, qui cum furioſo converſetur, ac temperamentum ejus cauſaſque inſaniæ exquirat: cui poſtmodum de furore rationabiliter deponenti tutò fidem habere, reoque pœnam remittere queat. *Secundò*, quæ ſupra fuêre dicta de excuſatione furoris, capienda ſunt de caſu, quo aliquis continuâ mentis alienatione tenetur; qui enim in confinio quaſi furoris & ſanitatis atque in conſpectu inumbratæ quietis, ut Dd. loquuntur, conſtitutus, dilucida intervalla habet, ille pœnâ omninò liberandus non eſt. Sed tamen & hic neceſſe erit probari, eo tempore quo reus crimen admiſit, eum non fuiſſe furioſum: aliàs enim, qui ſemel furioſus perhibetur, in poſterum quoque talis eſſe creditur, quia de præterito in præſens præſumitur. (r) Probè interim hic notanda eſt diſtinctio illa, quam *Iaſon* (s) adfert. Aut enim appa-

(m) *Andr. Gail. lib. 2. obſerv.* 110 *n. 22. Nicol. Reuſner. lib. 1. deciſ. 17. n. 45. Farinac. part. 3. oper. crim. qu. 94. n.* 15. *Matth. Stephan. in not. ad art.* 179. *n. 4. Petr. Theodor. in Colleg. crimin. diſp.* 10. *th. 4. lit. H. Dn. Carpz. qu.* 145. *n. 24.*

(n) *per l. 5. D. de pœn. l. 6. D. de public. iudic. Iul. Clar. in pract. §. ult. qu. 60. n. 7.* (o) *l. 2. C. qui teſtam. fac. poſſ.* (p) *Gloſſ. in cap. ult. verb. compotem. de ſucceſſ. ab inteſtat. per text. in l. 5. C. de codicill.* (q) *d. qu.* 145. *n. 30. vide Schneidevv. d. loc. n.* 15. *&* 16. (r) *arg. l. 2. l. 3. l. 16. C. de probation. l. 4. C. ad exhibend.* (s) *in l. furioſum. 9. C. qui teſtam. fac. poſſ. n. 3.*

apparet, aliquem fuiſſe furioſum, nôn ſemper, ſed aliquo momento temporis, puta una vel duabus horis, vel uno die aut duobus; & talis furor non attenditur, neque ex eo aliquid probatur. Aut verò apparet, aliquem habuiſſe furorem ſucceſſivum, licet quædam intervalla habuerit, & tunc quicquid agit, præſumitur feciſſe tempore furoris. Cùm enim furor ut hedera ſerpat, ſemper & continuo durare cenſetur, niſi in totum deſiiſſe probetur (t). Quamobrem, ut dictum, probatione illa deficiente, nempe quod in dilucidis intervallis deliquerit, reus adhùc à poena ordinaria immunis erit. *Tertiò* nec intelligenda ſunt ſuperius diſputata de eo, qui poſt furorem ad ſanam mentem rediit: hunc furor præteritus neutiquam excuſaverit. Etenim ſi is, qui dilucida habens intervalla ſenſu ſaniore peccat, poena non eximitur (u); multo minus hoc probandum erit in eo, qui licet aliquando furioſus fuerit, priſtinæ tamen ſanitati jam reſtitutus delinquere non eſt veritus. *Quarto* advertendum eſt, quod licet verè furioſus à poena excuſetur, ille tamen prorſus liber dimitti non debeat: ſed cuſtodiendus ſit à ſuis in conclavi aliquo, aut ſi opus fuerit, vinculis etiã coërcendus; ne quid pernicioſius ipſe in ſe moliatur, aut aliis ſit exitio. Imo ſi cuſtodes negligentes ſe geſſerint, & furioſus quid petraverit, pro modò culpæ & negligentiæ caſtigari debent: (x) uti & Platonis lex quondam ſtatuit. (y) *Quinto* dicta non valere debent in eo, qui ſua culpa in furorẽ incidit: v. gr. ſi quis comederit cibum, ex quo ſciverit ſe furioſum evaſurum. Quamvis *Proſper Farinacius* (z) putet, vix dari talem caſum, cùm nemo forte tam demens futurus ſit, ut per cibum ſponte furorem ſibi contrahere velit. *Sextò* tenendum eſt, quod inſtar furioſorum non ſint excuſandi, qui nec tota mente præditi, nec etiam tota ſunt privati. Poteſt enim in eos adhùc cadere aliquis dolus, vel certè lata culpa.

(t) *arg. l.* 30. *C. de inofficioſo teſtament. & c. maiores.* 3. §. *dormientes in fin X. de baptiſ.*

(u) *l.* 14. §. *ſi verò. D. de offic. Præſid.*

(x) *d. l.* 14. *D. de offic. Præſid.*

(y) *Tira. qu. cauſ.* 2. *num. ult.*

(z) *d. qu.* 94. *n.* 36.

At

At vero propter hanc judex arbitrio ſuo poenam extraordinariam reo dictare poteſt (a). Quin & , ſi delictum regulariter mortis poenam mercatur, pro lata culpa corporaliter quem puniri poſſe, licet mitius quàm pro dolo, *Maranta* (b) tradit atque de communi teſtatur. Ac certè, ſi quis vellet quibuſvis fatuis veniam concedere, vereor ne is delictis feneſtram aperiret: neque enim omnes intellectu calleant, licet aliquibus obtuſior & ſtupidior aliquanto mens ſit, quos *Groſſos* & *Groſſolanos* Interpp. appellant: præſertim cum benè perpendendũ ſit, quod poenas ob maleficia ſolvi magna ratio ſuadeat; & has non facilè remitti, publice interſit, ne ad maleficia temere quiſquam proſiliat. (c) Idem fere juris, quod in furioſis, ſtatuunt etiam in laborantibus morbo comitiali ſive Epilepſia, (die die ſchwere Noth haben:) Dicitur autem hæc detentio principum functionum & ſenſuum internorum atque externorum, cum totius corporis præternaturali convulſione & motu convulſivo per intervalla repetente, dependens à materia acri & peculiari ac occulta vi cerebri infecta & membranas cerebri nervoſumque genus vellicante, (d) Itaque cum in ejuſmodi homine ſenſûs & ratio miſerabiliter detineantur, non eſt dubitandum, quin, ſi in ipſo paroxiſmo aliquid committat, ab omni poena immunis eſſe debeat.

(a) *Dn. Carpz. d. qu.* 145. *n.* 49. *cum author. alleg.* (b) *in ſpecul. part.* 4. *in pr. n.* 59. *verſ. reſtat tamen dubiũ &c. Carpzov ib. n.* 50. (c) *l.* 70. §. *ult. ff. de fide juſſ. & mandat. l.* 14. *C. de pœn.*

CAUSA V. eſt

Melancholia, de qua aliàs Ddres in ſpecie agere non ſolent; ſed illam, ut affinem, ſub furore comprehendunt. Dicitur autem Melancholia eſſe delirium ſive depravatio imaginationis & ratiocinationis, ſine febri & furore, cum timore & moeſtitia, dependens à Phantaſmate tenebricoſo & ſpirituum animalium obtenebratione. (a) Reperiuntur verò *tres gradus* melancholicorum, qui proindè diverſam quoque poenam merentur. *Primus gradus* illo-

rum

(d) *Dn. Adam. Cortrei. d. diſput th* 33. *ex Sennert. practic. Medic. lib.* 1. *p.* 2. *c.* 31.

(a) *Dn. Cortrei. ibid. th.* 36.

rum eſt, qui ſolum triſtes atque moroſi ſunt, hominumq; ſocietatem averſantur. Et in his imaginatio quidem læſa eſt, quoniam objectum triſte ſibi imaginantur, cùm tamen ob quod triſtentur, reveta non adſit: at ratiocinatio integra manſit, quia tales adhùc intelligunt, & ſæpè fatentur, inanem eſſe hanc triſtitiam, ſe tamen illam, licet maximè velint, abigere non poſſe. Et cùm in his adhùc proæreſis & dolus ſit, ordinaria pœna non injuſtè plecti poſſe videntur. *Secundum gradum* illi conſtituunt, qui præterquam quod ſint animo mœſto, ſibi etiam horrenda imaginantur, pericula metuunt, ac vagabundi de uno loco in alium fugiunt. Undè fit, quod ejuſmodi melancholici ſemper ſolitudinem ament, noctu magis obambulent, obviantes averſentur, ſi inſperatò quidam offerantur, eos non adſpiciant, latebrasque circa mortuorum ſepulchra, & loca alia ſolitaria quærant. Et in his magis eſt corrupta imaginatio, aliquo modo etiam turbata ratiocinatio. Non enim poſſunt amplius de phantaſmatibus objectis rectè judicare, vera ſint an falſa, ſed incipiunt dubitare: ex quô de omnibus etiam amicis malè ſuſpicari ſolent, neque bene conſulentibus morem gerere cupiunt. Et quia in his functiones animæ rationalis ſunt ſopitæ, nec proæreſin propriè habent, ideò pœna ordinaria eis poterit remitti, extraordinaria verò qualem circumſtantiæ ſuaſerint, dictari. Quod igitur *Dn. Carpzovius* (b) indiſtinctè profert, & quibuslibet melancholicis extraordinariam pœnam infligi vult, id forte de hoc gradu ſecundo tantum capiendum erit. In *tertio gradu* conſtituti præter hæc etiam delira loquuntur, ac abſurda ſæpè imò horrenda ſuſcipiunt ſed ſine furore. Quem gradum melancholiæ *Melancholiam primam* benè vocari poſſe *Magnificus Dn. D. Hahnius* (c) exiſtimat. His jam & imaginatio & ratiocinatio maximè ſunt depravatæ, quod inde colligitur, quia

(b) *d. qu. 145. n. 53. ſeqq.*

(c) *in laudatiſſ. obſervat. ad VVeſenb. ☞. D. de pan. ſub n. 10.*

quia

quia utraque maximè errat circa objectorum apprehenſionem, compoſitionem & diſcurſum; Undè meras etiam deliras actiones ſequi neceſſe eſt. Proindè cum tales dolo atque culpa careant, nec ulla rationis operatio conſpiciatur, ſi quid deliquerint, miſericordia iis potius debebitur, quàm ulla animadverſio. Pertinet ad hoc tertiũ genus memorabilis caſus, qui hic *Helmæſtadij* cõtigit *A. 1657. d. 4. Decembr.* ubi civis quidã oppidanus, patriâ Sileſius in ſumma melancholia propriã uxorẽ horrendâ cæde interfecit. (d) Aliquando verò contingit, ut melancholici non ejuſmodi atrocia facta ſuſcipiant, ſed ferè ridicula, licet ſemper cũ metu & mœſtitia. Ita quidam ſe vaſa fictilia, cerea, vitrea eſſe putaverunt: alii canes, feles, galli gallinacei, lupi & leones ſibi viſi fuêre. Repertus etiam fuit, qui cum in milii granum ſe transformatum crederet, cameram egredi noluit, ne à gallinis deglutiretur. Nonnulli cœlum terramque digito auriculari, quemadmodum Atlas humero, ſe ſuſtinere crediderunt, ac ne aliquando in ſe ruant, ſemper pavidi exſtiterunt. Imò *Petrus Heigius* refert (e), ſuo tempore fuiſſe quendam melancholicum, qui mortuum ſe profitens, cibo & potu diu abſtinuerit: ac omnino mortuus fuiſſet inedia, ni medicus ipſe mortuum ſe finxiſſet, & ſuo exemplo ægrotum iſtum ad capiendum cibum invitaſſet; ſingulari ſanè conſilio & cautela.

CAUSA VII eſt

EBrietas. Huic valdè inimica fuit lex Pittaci Mitilenenſis, quæ ſtatuit, ut ſi quis ebrius quem pulſaverit, duplici pœna afficeretur, cùm quod ſe inebriaverit, tùm etiam quod in ebrietate illa deliquerit. (a) In Imperio etiam noſtro multæ exſtant Conſtitutiones, quæ ſeverè compotationes & ebrietatem prohibent. Talis eſt *Maximiliani I. Imp.* R. A. zu Augſp. *de A. 1500. tit.* vom Zutrincken. *Colon. A.* 1512.

(d) *Vid. laudatus Dn. Hahnius d. loco, ubi etiam Reſp. Facult. Iurid. Acad. Iul. apponit.*

(e) *part. 2. qu. 38. n. 41. & ſeqq. ex quo hæc deſumſit Dn. Carpzov. n. 56 & 57.*

(a) *Ariſtot. l. 2. Polit. c. ult. Tiraquell. cauſ. 6. n. 9.*

1512. *tit.* von Gottsläſterern. §. desgleichen. *Caroli V. Imp. Reformat. Polit. A. 1530. in Receſſ. Aug. & de A. 1548. tit.* vom Zutrincken. uti quoque *Maximiliani II. Imp.* in der Reuter Beſtallung zu Speyer auffgerichtet *A. 1570. art. 48. 49. 50. 51. 52. & Rudolphi II. Imp. Ordin. Polit. de A. 1577. tit. 8. in fin.* Quod inter Regias virtutes alias etiam ſingulari laudi datur Invictiſſimæ Domui Auſtriacæ. *Severiſſimi enim,* inquit *Dn. Carpzovius* (b), *ſemper fuerunt Impp. Auſtriaci in punienda ebrietate, ut peculiare ipſis propterea tribuatur encomium: quod nempe ab ebrietatis vitio inter Principum Germanorum Familias, ſola libera ſit Familia Auſtriaca; ſiquidem ab Avis & Atavis, prædicta Domus exhorruit ebrietatem, licet eorum regio ſemper fuerit Vini fertiliſſima & locupletiſſima.* At verò ſi hodiernos totius Germaniæ mores reſpiciamus, prædictas leges Imperiales non obſervari palam eſt; contrario enim uſu & conſuetudine abrogatæ quaſi ſunt & ſublatæ (c), cum prorsùs in modũ, quô aliàs regionis conſuetudo toleratur in accipiendis uſuris, uſq; adeò, ut omnem uſuræ aut fœnoris præſumtionem excludat. (d) Ex quô etiam factum, quod ſanctiones illæ Imperiales in contemtum riſumque abierint, Germaniæque Nobiles ſibi invicem propinando dixerint: Propino tibi hauſtum in Conſtitutionem Imperialem de ebrietate vitanda: Es gilt dir auff den Reichs-Abſchied. (e) Enimverò utut mos hic non ferè conſuetudo Germanorũ, ſed vel natura ipſa vocandus ſit, aboleri tamen illæ leges non potuerunt ſine peſſimo exemplo, & quâdam turpitudinis infamia, ut loquitur *Gailius* (f). Imò ſi virtutis amor nos ab ejuſmodi ingurgitationibus non deterrere potuiſſet, ſaltim fidele Servatoris (g) monitum hoc præſtare debuiſſet: *Attendite, ne Corda veſtra graventur crapula & ebrietate.* Sed dicamus tandem, quid juris in materia hâc ag-

P 2 gratia-

(b) *qu. 146. n. 24 ex Cuſpinian. in Orat. de bell. cõtr. Turc. ſuſcip. juſt. hiſt. Auſtr. p. 79.*
(c) *Gail. d. obſerv 110. n. 24*
(d) *Nicol. Reuſner. lib. 2. de ciſ. 14. n. 20 & 21.*
(e) *Dn. Carpz. ibid. n. 26. ex Herman. Lather. lib. 1. de cenſib. c. 10. n. 32.*
(f) *cit. loc.*
(g) *Luc. 21. v. 34.*

gratiationis ebrio ſit concedendum Ac licet grave omnino ſit hoc vitium, ita ut Pittacus ſtatuerit, prout dictum fuit, ebrium ſi quid admiſerit duplici pœna eſſe plectendum: attamen hoc non obſtat, quominus ſtatuamus cum delinquentibus ex ebrietate mitius eſſe agendum. Neque enim Pittacus ideò id volebat, quod putaret, nunquam poſſe ebrietati Gratiam concedi, aut etiam, delicta ipſam aggravare; ſed ut tam ſevera lege cives ſuos à temulentia abſterreret, bonoque publico conſuleret, cumprimis quia Lesbus Inſula, ubi Mitylene ſita eſt, vino abundat. (h) Inde communis quoq; eſt DDrum concluſio: quod ebrietas immodica delinquentem à pœna ordinaria excuſet. (i) Et verò præterquam quod aſſertio hæc textib. juris (k) eſt conveniens, etiã rationibus comprobari poteſt. Nam ſi in delictis non exitus ſpectatur, ſed voluntas (l); & in iis non tàm factum, quàm conſilium, affectus, doluſque attenditur (m); ebrio ignoſci debere palam eſt, quia hic immodico liquore obrutus dolo- ſè delinquere nequit, ut qui ob mentis alienationem vel exilium nec velle poteſt nec conſentire, undè & dementi ac furioſo comparatur, cujus nulla eſt voluntas (n), cenſeturque veluti abſens ex ſententia illius:

Abſentem lædit, qui cum ebrio litigat. (o)

Neque tamen ita patrocinamur ebrietati, ut eam, licet immodica fuerit, ab omni pœna excuſare putemus; ſed ſaltim ut lenius aliquantò & extra ordinem animadvertatur. Ebrie-

(h) *B. D. Hornei, libr. 3. Philoſoph. Moral. cap. 4. n. 21. Vid. Dürrius Inſt. Ethic. Part. 3. ſect. 1. cap. 3. §. 26. & 27.* (i) *Dn. Carpz. ibid. n. 32. ſeqq. cum author. alleg. & Tiraquell. d. cauſ. 6. n. 1. ſeqq. ubi multos Legiſtarum & Canoniſtarum alioſq. adducit.* (k) *l. 6. §. 7. verb. per vinum aut laſciviã lapſis. D. de re milit. c. ſine. 7. cauſ. 15. qu. 1. c. inebriaverunt. 9. dict. cauſ. 15. qu. 1. & facit l. 11 §. 2. D. de pœnis.* (l) *l. 14. D. ad Leg. Cornel. de ſicar.* (m) *§ 7. I. de obligat. quæ ex delict. naſc. l. 25. §. ult. ibi: fraudandi animo, l. 50. § 2. D. de furt. l. 41 §. ult. D. ad Leg. Aquil. l. 34. pr. D. de obligat. & act.* (n) *l. 40. de R. J. l. 47. D. de acquir. vel omitt. hered. c. venter. diſtinct. 35.* (o) *Tiraquell. d. cauſ. 5. n. 1. q. vide.*

brietas enim etiam enormis dolum quidem in delicto, at culpam minimè tollit. (p) Etenim talis operam dedit rei illicitæ, nec ignorare debuit, à ſe probè appoto facilè aliquid poſſe admitti, cujus poſtmodum pœnitentia ſuperveniat. Itaque vel ob hanc culpam judex extraordinariam ipſi pœnam injungere poterit. (q) Confirmantur ea quæ diximus *prædict. Scabinorum reſponſo dato ad requiſitionem Quæſtoris Torgenſis M. Februar. A.* 1606. Hat H. Z. in ſcharffer Frage erhalten / daß ihme von wegen übermäſſiger Trunckenheit gar nicht bewuſt / daß er den alten Matthes Förſter mit einem Prügel zu tode geſchlagen; Und es haben die Gericht und andere Perſohnen / mit welchen der Gefangene gezechet / berichtet / daß er allbereit ziemlich truncken geweſen / wie er zu ihnen kommen / und denn von einem Tiſch zum andern gelauffen / und immerfort lauter Wein getruncken / daß er übermäſſig bezechet / und truncken worden / und hielten gäntzlich darvor / daß er nicht wüſte was er gethan / Er der Gefangene / alß ihme vorgehalten worden / daß er den alten Förſter todt geſchlagen haben ſolte / ſich auch gar nicht flüchtig gemacht / ſondern gutwillig mit den Gerichts-Perſohnen gangen / und ſich an eine Kette ſchlieſſen laſſen / und darneben allezeit geſagt / er wüſte gar nicht / daß er den altē Förſter geſehen / oder mit ihm in unguten etwas zuthun gehabt. So mag er derowegen an Leib oder Leben nicht geſtrafft werden / er wird aber gleichwohl geſtalten Sachen nach / mit zeitlicher Landes Verweiſung billich in Straff genommen / V. R. W. Sed tamen adhuc quædam obſervatu neceſſaria ſunt ad hoc, ut ebrius ab ordinaria pœna liberetur, & arbitrariè puniatur. *Primò* enim requiritur, ut ebrietas fuerit immodica, mentis oblivionem & rationis exilium inducens, daß die Trunckenheit ſo übermäſſig geweſen / das er ſich nicht beſinnen können was er gethan. Aliàs enim leviter inebriati à ſobriis parum diſtant, & dum dolus in eos cadere poteſt, dolo etiam crimen admiſ-

(p) Bart. & Jaſon in l. 1. §. 1 D. de acqu. vel amitt. poſſeſſ. Hippol. de Marſil in l. 1. n. 49. & 63. ubi & Salycet. C. ad leg. Corn. de ſicar. Reuſner d. deciſ. 14. n. 28. Iodoc. Damhouder. in pract. rer. crim cap. 84. n. 19. cit. Carpz. d. qu. 146. n. 40

(q) *arg. l 27. §. 9. & §. 33. D. ad Leg. Aquil. & arg. c. unic. X. de commod. & c. 2. X. de depoſit.*

admiſſum præſumitur, adeoque à pœnâ ordinariâ non liberantur. (r) Quidam (s) tamen adhuc exiſtimant, poſſe etiam levem ebrietatem quadantenus excuſare, licet non tantum quantum magnam, quaſi ſit minor dolus in commiſſo per ebrietatem levem, quàm citra illam. *Secundò* requiritur, ut ebrietas non fuerit captata, hoc eſt, quam quis ſponte ſibi attraxit, ut eò audacior ad facinus patrandum fieret: nec etiam ſimulata, quoniam tunc mitigatione nulla dignus eſt. *Tertiò* debuit quoque neſcire reus, ſe temulentum talia committere ſolere. Nam qui novit, quod ipſe mero madidus alios offendat rixaſque concitet, nec cohibuit ſe ab immodica potatione illum ordinaria pœna manet. *Quartò* & hoc opus eſſe videtur, ut fortuitò ſe inebriaverit, non datâ operâ, & vires vini benè habens cognitas. *Quintò* neceſſariò requiritur, ut reum poſtmodum facti pœniteat. Nam qui ſobrius deſuper, ceu re benè geſta glorietur, non obſcurè ſignificat, quod idem facturus fuiſſet etiam non ebrius. Referendus huc eſt ille caſus, quô quis conſilium occidendi fovens, ebrius in effectum illud deducit: hic enim occidiſſet, licet ſe non inebriaſſet, adeoque pœna ordinaria plectendus erit. *Sextò* tandem notandum eſt, quod ordinarium ſupplicium non debeat remitti, niſi manifeſtè de magna ebrietate delinquentis conſtet. Nam prætendenti eam non ſtatim eſt habenda fides. Ideo ipſi incumbet probatio per teſtes adſeverantes, quod eô tempore reus in ſumma fuerit ebrietate conſtitutus. Et quamvis juxta *Farinacium* (t) iſti de ebrietate rei deponentes ſimpliciter non probent, ſtandum tamen adhuc erit ipſorum teſtimonio, ſi rationem credulitatis adferant; nempe deponentes de transformatione faciei, loquela, geſtibus indecentibus, aliiſque ſignis externis, è quibus de nimia ebrietate delinquentis, liquidò conſtare poteſt. (u) Quod ſi verò teſtes nulli

(r) *Bald. in l. data opera. 11. n. 6. C. de his qui accuſ. nō poſſ. Carpzov. n. 49.*

(s) *Tiraqu. d. cauſ. 6. n. 11. cū Baldo cit. loc.*

(t) *part. 3. oper. crim. qu. 93. n. 26.*

(u) *Idem Farinac de Teſtib qu. 70. n. 59. Bertazz. conſil. 26. n. 1.*

nulli adfuerint, qui de ebrietate teſtari queant, putat *Dn. Carpzovius* (x) delinquentem torturæ poſſe ſubjici, ad eruendam veritatem, ne ob probationis defectum defenſio ipſi prorſus auferatur.

CAUSA VII. eſt

SOmnus. In hoc ſepultus ſi quippiam faciat, quod ſpeciem delicti habet, puta ſi hominem occidat, non puniri debet (a). Quis enim non excuſaverit eum, qui mortuo ſimilior eſt quam viventi? Nam ubique apud Scriptores ſomno mors aſſimilatur. Andè *Maro:* (b)

Dulcis & alta quies placidaq; ſimillima morti.

Et alibi: *Mors homini facilis, dulciq; ſimillima ſomno.*

Quod fortè ab *Homero* ſumſit, qui mortem νήδυμον ὕπνον appellat, dum canit: (c)

Πέμπειν μιν θανατόν τε φέρειν καὶ νήδυμον ὕπνον.
Mitte ipſam mortemq; ferre, & ſuavem ſomnum.

Et *Tullius in Catone* (d). *Iam verò videtis, nihil eſſe morti tam ſimile, quàm ſomnum.* Idem porro *Homerus* & *Heſiodus* eum mortis fratrem vocant. Ille quidem *in Iliade* (e):

Λῆμνον δ' εἰσαφίκανε πόλιν θείοιο Θόαντος,
Ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο.
Lemnum autem pervenit civitatem divini Thoantis,
Vbi ſomno obviavit fratri Mortis.

Hic *in Theogonia* de nocte canens:

ἡ δ' ὕπνον μετὰ χερσὶ, κασίγνητον θανάτοιο·
Illa verò ſomnum in manibus, fratrem mortis.

Eodem modo Gorgias Leontinus ſenio jam feſſus ac perimbecillis, cùm in ſomnum paulatim prolaberetur, ac familiarium quiſpiam accedens, ex eo, ut ſe haberet? ſciſcitaretur: *Iam,* inquit, *me apud fratrem deponere adortus eſt ſopor.* (f) Phyſicus verò quidam conſultus, quidnam ſomnus eſſet? reſpondit: *Parva mors.* deindè quid mors eſſet, dixit:

(x) *d. qu. 146. in fin. ubi etiã Reſponſum Scab. Lipſienſ. adducit. Vid. etiam Cortrei. th. 49 & ſeq.*

(a) *Clement. unic. de Homicid. volunt. vel caſu. al.*

(b) *lib. 6. AEneid. v. 522.*

(c) *Iliad l. 16.*

(d) §. *80.*

(e) *l. 14.*

(f) *AElian. l. 2. Magnus Var. Hiſtor. c. 35. & Cælius Rhodigin. libr. antiqu. lect. 30. c. 9.*

Magnus ſomnus. (g) Quod phyſica ratione forſan monſtrare voluit Empedocles, quando putavit, ſomnum ſanguinarii caloris refrigerationem eſſe: quæ quidem ſi ſit modicè temperata, ſequi ſomnū: ſin immodicè, mortē. Aliàs quoq; dementibus & furioſis & infantibus comparari dorminentes ſolent. (h) Illud verò certum eſt pœnam nullam ejuſmodi profundo ſomno conſopitis juſtè infligi poſſe. Nam cùm in illis non tantū ſenſus exteriores ſint conſopiti, verùm etiam actus appetitus rationalis & intellectus quieſcant, quis non videt, principia hic boni & mali moralis quaſi ligata eſſe, & indè nec peccari, nec pœnam aliquam ſibi locum vendicare poſſe? (i) Hoc tamen hanc limitationem patitur, niſi in culpa fuerit dormiens: nempe ſi ſciverit, ſe inquietū dormire, arma arripere, hinc inde verberare & ſimilia ſolere peragere: tùm enim, quia diligentiam non adhibuit, nec curavit vel cubiculū claudi vel arma removeri, aut, ſi opus eſſet, ſemetipſum ligari &c. ob culpā hanc arbitrariè puniri poteſt. (k) Quæ ſententia ex illo quoq; confirmationē recipit, quod Theologi de pollutione nocturna ſcribunt, & expreſſe habetur *in c. teſtamentum. 1. diſtinct. 6.* Deinde limitationem recipit etiā eo caſu, quô quis dormit cùm vigilare deberet. Cum enim illiciti ſomni ipſe cauſa ſit, ipſe etiam peccati cauſa exiſtit. Atque hoc modo miles ſtans in excubiis & hoſtem admittens excuſare delictum per ſomnum nequit: debuiſſet enim ſibi cavere ne obdormiret: atque ideo quia illiciti ſomni ipſe ſibi cauſa exiſtit, ferè eadem pœnâ dignus eſt, quâ ſi vigilans hoſtem invadere caſtellum paſſus fuiſſet (l). Idem ferè quod de dormientibus etiam ſentiendum de *Noctambulis*, quos alii *Somnambulos* aut *Somniſurgos* appellant. Dantur enim, qui ſæpè clauſis oculis de no-

ćte am=

(g) *Tiraqu. cauſ. 5. num. 5.*

(h) *per c. Maiores. §. ſed adhùc. & §. itē quæritur. X. de baptiſ. l. 1. §. 3. D. de acqu. vel amitt. poſſ. l. 31. §. 3. D. de uſurpat. & uſuc. l. 269. de V. S. Tiraqu. d. loc. n. 1.*

(i) *c. ſi concupiſcētia. 15. qu. 1. Gail. d. obſerv. 110. n. 30*

(k) *per id quod ſimile habetur in l. 7. D. ad L. Corn. de ſicar. & l. 31. D. ad L. Aquil. Tiraqu. l. loc. n. 10. ubi Ddres multos citat.* (l) *Dn. Felde Element. Iur. Part. 2. lib. 1. cap. 5. membr. 3. artic. 3. n. 2.*

Ac ambulant, domos, templa, celſaque & inacceſſa loca conſcendunt, quò nemo pervigil, quantumvis ſaperet, aſcenſurus eſſet. Quod ſi de nomine ſuo vocentur, repentè concidunt (m). Narrat Del-Rio (n) quendam fuiſſe, qui circa mediam noctem ſurrexerit dormiens, cubiculumq; fratris collegæ ingreſſus manu forfices tulerit, rectà ad lectum ejus, cui minatus erat, deproperans. Quem ubi alter, qui forte fortuna vigilabat, ad ſe venientem videt, celeriter ſe è lecto proripuit. Noctambulus lectulo proximus culcitrã forficibus ter quaterve petiit, & confeſtim rediit, undè venerat. *Tiraquellus* præterea è *Laudenſi ICto* (o) refert, fuiſſe huic cùm Pariſiis degeret ſocium quendam natione Anglũ, qui aliquando dormiens à templo Divi Benedicti ad Sequanam uſque iverit, & inveniens ibi puerum eum interemerit, rurſusque non expergefactus in lectum ſe conjecerit. *Bartolus* (p) quoque tradit, fuiſſe quendam Piſanum, qui ſe noctu dormiens armaverit, vagatusque per urbem cantando fuerit. Haud abſimile *Marianus* (q) teſtatur, quod ſanè mirum videri poteſt, habuiſſe ſcilicet ſe vicinam puellam, quæ dormiens è lecto ſurrexerit, panemque haud expergefacta fecerit. Non immeritò autem quæras quid tandem de his ſit ſtatuendum? Sanè cùm ex Phyſicorum ſententia (r) ad ſomnum requiratur omnium ſenſuum ligatio, ad vigiliam autem ſufficiat vel unius ſolutio, cenſendum erit, iis qui è lecto ſurgunt, non ſimpliciter ineſſe ſomnum; ſed imperfectè, quandoquidem tacto eos uti, etſi obſcuro, negari non debet, ut qui terram pulſant, ſe veſtiunt, fores pandunt, arma corripiunt. Ob hæc tamen nondum dixerim, illos quaſi doloſos poſſe puniri, ſi quid deliquerint. Compotes enim ſui non ſunt, & ratio omnis penes ipſos quieſcit: ſiquidem ad rationis uſum requiritur internorum ſenſuum ſolutio, quæ tamen non arguitur ex eo, quòd aliqua externa facul-

(m) *ut loquitur Bodin. l. 3. c. 6. Dæmanol.* (n) *Diſquiſit. Magic. lib. 1. c. 3. qu. 3.* (o) *in Cunct unic. de Homicid* (p) *in l. ut vim. D. de juſt. & jur.* (q) *in c. ad audientiam. in 10. quæſtione ſta quæſtionis principalis cit. Tiraqu. ib. n. ult.*

(r) *Magir. Phyſiolog. Peripatet. lib. 6. c. 13.*

facultas evigilet & in opere verſetur. (s) Quod ſi verò noverint, ſe noctu ſolere ſurgere, arma capere, hominesque offendere, neque curam adhibuerint, ut conclavi probè obſerato includerentur, arma è medio tollerentur, vel ipſi etiam ligarentur; tum extra ordinem ipſos ob culpam bene puniri poſſe arbitramur (t): immò *Gailius* (u) eos etiam de Homicidio teneri exiſtimat.

CAUSA IIX. eſt

DEfectus loquelæ & auditus. Nimirùm etiam hodiè communiter ſtatuitur, quod mutus & ſurdus, intellectum perfectum non habens, & de crimine commiſſo teſtibus non convictus, à pœna ordinaria ſit exemtus. (a) Ad quem effectum producendum duo requiruntur quæ conjuncta eſſe debent: *primo* ut ejuſmodi homo intellectū perfectè non poſſideat. Hic quippe cum appetitu rationali conſtituit Principia actionū noſtrarū, undè horum uno deficiente, actio humana eſſe nequit, ſed talis fortè, quam cum brutis quis communem edit. Imperfectus etiam intellectus non meretur attendi, cùm ex tali nil certum verumve ſequatur. Et propterea quoque mutus & ſurdus in jure infanti æquiparatur & furioſo (b). Uti ergo infans & furioſus ex delictis non obligantur, ita neque mutus & ſurdus, quoniam ubi eadem eſt ratio, ibi etiam idem jus eſt ſtatuendum. Quod ſi verò homo talis intellectum habeat, tùm, quia omnino ex dolo deliquiſſe creditur, magnam Gratiam non meretur. Et hoc adhùc magis, quia mutus & ſurdus intellectum habens ex aliis actibus in jure validis, & vinculo quoque contractus tenetur. (c) Cur ergo non ſimili modo

(s) *Conimbric. cenſ. cap. 6. ad Ariſt libr. de ſomn. & vigil. c. 2 in fin.*

(t) *Barboſa ad d. clemēt ſi furioſus. de Homicid. volunt. vel caſual. Dn. Claſen. cap. 13. cauſ. 4. Cortrei. th. 55.*

(u) *d. obſerv. 110. n. 30.*

(a) *Dn. Carpzov. q. 147. n. 13 quē vide*

(b) *l. 65. §. 3. D. ad SC. Trebell. l. 3. §. 3. D. de poſtuland. l. 20. & 21. D. de reb. auctorit. jud. poſſid. §. 4. I. de Curator. §. 4. I. de Hered. qualitat. & diff.*
(c) *§. ult. I. de hered. qualitat. & different. d. §. 4. I. d. t. l. 10. C. de teſtam. l. 4. §. 1. D. de Pact. l. 48. D. de obligat. & action. l. 52. §. 9 & 10. D. d. t. l. 35. §. ult. D. de verb. obligat. l. 33. § 2. D. de donation. l. 5. D. de acquir. vel omitt. hered. l. 73. D. de iure dot.*

do ex delicto ſuo obligaretur? *Secundò* ad pœnæ ordinariæ mitigationem requiritur, ut mutus & ſurdus de crimine patrato teſtibus ſit convictus. Et hoc potiſſimum in eo obtinet, qui mutus & ſurdus ſimul eſt. Nam licet hic intellectum perfectum habeat, ſi tamen per teſtes convinci nequeat, vel ob hanc ſolam cauſam pœnam ordinariam ipſi remittendam eſſe ſtatuunt. (d) Ratio facilè conjicitur, quia talis ob carentiam loquelæ, crimen confiteri nequit. Ac dicas licet, mutum & ſurdum ſimul poſſe nutu & ſignis aliis mentem ſuam exprimere, ac etiam ad eruendam veritatem eodem modo interrogari: declaratio tamen iſta ſignis & nutu facta admodum eſt fallax atque periculoſa, nec veram criminis probationem inducit. At verò notum eſt, quod in criminalibus confeſſio rei clara, categorica, verbisque rotundis & apertis prolata eſſe debeat. (e) Quamvis enim non ſit negandum, per talem declarationem ſignis factam præſumtive quaſi crimen probari; id tamen hoc loco nondum ſufficit, neque exinde ad ſupplicium mortis devenire licet: quoniam hoc caſu requiruntur probationes plenæ ac luce meridiana clariores, nec ob præſumtiones quis ad mortem condemnandus eſt. (f) Quod etiam diſerte vult Ordinatio Criminalis (g): Sol jemand endlich zu peinlicher Straffe verurtheilet werden / das muß auß eigen bekennen/ oder Beweiſung beſchehen/ und nicht auff Vermutung oder Anzeigen. Poſſet tamen eo caſu pœna aliqua mitior & extraordinaria ipſi dictari: quia etiamſi reus confeſſus & convictus non fuerit, nihilominus ex præſumtionibus violentis arbitrariè puniri poteſt, ut communis eſt Interpp. ſententia; (h) cui conveniens eſt *dd. Scabinorum Reſponſum datum Quæſtori Altenburgenſi M. Maio A. 1626.* Ob nun wohl B.H. ſo zugleich ſtumm und taub iſt / beydes hiebevor / und anitzo durch

(d) *Anton. Gomez. tom. 3. var. reſolut. c. 1. n. 69. in fin. Dn. Carpzov. qu. 147. n. 36.* (e) *Vid. Dn. Carpz. qu. 113. n. 54. & d. qu. 147. n. 33.* (f) *l. 5. D. de pœn. l. ult. C. de probat. Jul. Clar. in pract. §. ult. qu. 20. n. 6. Ant. Hippol. de Marſil. in rubr. C. de probation. n.* 236. (g) *art. 22.* (h) *quos vide apud Dn. Carpzov. d. qu. 147. n. 37.*

Andeutung zuverſtehen geben / daß er Matthes Fleiſchern / die an ihn befundene tödtliche Stiche / darvon er geſtorben / zugefüget / die Zeugen auch berichten / daß ſie ihn mit bloſſem Meſſer zum Anger zulauffen ſehen / darauff alſobald das Geſchrey von der begangenen Entleibung entſtanden. Dieweil aber dennoch keiner unter den abgehörten Zeugen geſehen / daß inquiſit den entleibeten geſtochen / welches doch / wenn die ordentliche Todesſtraff erkandt werden ſol / in Mangelung des Mündlichen Bekändtnüs / die Rechte erfodern / etc. Alß mag auch inquiſit geſtalten Sachen nach / mit der ordentlichen Straffe der Todtſchläger nicht belegt werden / Er wird aber gleichwohl mit Staupenſchlägen des Landes ewig billich verwieſen / V. R. W. Hæc verò cumprimis locũ habent, quando reus literarum plane eſt ignarus. Quod ſi enim contingat, eum qui mutus & ſurdus ſimul eſt, poſſe ſcribere (quorum ſane aliqui ſunt viſi (i)) tum cogendus eſt à judice, ut per Scripturam reſpondeat: imò præcedentibus legitimis indiciis per torturam adigi poterit, ut crimen in ſcriptis confiteatur, quô facto etiam condemnatio locum habebit: putatur enim eo caſu ſufficere facta per Scripturam confeſſio (k). Prædictæ tamen difficultates ferè tantum obveniunt in eo, qui mutus & ſurdus ſimul eſt. Nam qui alterutro tantùm carent, h. e. vel ſolum muti vel ſolum ſurdi ſunt, illi non niſi rariſſime reperiuntur intellectu privati, & facilior quoque confeſſio ab ipſis haberi poteſt; ut adeò æquitas in tantum ipſis non favere videatur, ut ordinariâ pœnâ eximantur; niſi forte ex Grratia mitius cum eis agi poſſe dixeris. Eodem modo ſuperiora non bene poterunt accipi de eo, cui ſupervenıens aliquis caſus utramque facultatem abſtulit; verùm de illo, qui à natura mutus & ſurdus in hanc lucem editus eſt. Prioris enim generis homines cum ſanâ mente ſint præditi, intelligant quid agant; & ſi cum maxime loqui nequeant, tamen ſcripturam edocti, confeſſionem ſuam in

(i) *Vid. eund. d. qu.* 147. *n. 7 & 8.*

(k) *Flamin. Cartar. tr. de execut. ſentent. c. 2. n. 47. Proſp. Farinac. part.* 3. *qu. 98. n.* 163.

charta

charta deſcribere valent. Igitur nihil eſt in illis, quod ma-gnopere pœnæ mitigationem ſuadeat.

CAUSA IX. eſt

IRæ vehementia. Hanc cumprimis in delicto Homicidii excuſare, latiſſimè probat *Andreas Tiraquellus*, (a) multis more ſuo Jurium, Ddrum, Theologorum, Philoſophorum & Hiſtoricorum auctoritatibus doctrinam hanc probans & illuſtrans. Nos cum *Dn. Carpzovio* (b) pro Regula ponimus: quod regulariter ira delinquentem à pœna ordinaria non excuſet. Etenim hoc niſi ſtatuamus, concedere nos oportet, nullum ferè reum pœna ordinaria plecti poſſe, cùm quilibet homicidii, incendii, blaſphemiæ, injuriæ alteriuſve delicti convictus, ad iræ prætextum confugeret, & hoc modo gratioſæ mitigationis auxilio indignè abuteretur. Sed & ex *L. ſi non convicii. 5. C. de Iniur.* hoc perſpicuum redditur. Dicunt ibi Impp. *Si autem in rixam inconſulto calore prolapſus, homicidii convicium obieciſti, & ex eo die annus exceſſit: cum iniuriarum actio annuo tempore præſcripta ſit, ob iniuriæ admiſſum conveniri non potes.* Ex quô infertur, injuriantem, niſi actionis præſcriptio acceſſiſſet, benè conveniri potuiſſe, huncque ſola iracundiæ exceptione ſe tueri nequiviſſe. Clarius tamen adhùc *Ordin. Crim. Art. 137. verſ.* Aber nach loquitur *in verb.* —und ein ander/ der einen Todtſchlag auß Zorn gethan / und ſonſten auch gemeldte Entſchuldigung nicht hat / mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode geſtrafft werden ſol. Per quæ ſanctionis verba ſatis oſtenditur, pariteos pœna affici debere, qui per iram & qui citra illam humano ſe ſanguine polluerunt. Alias probationes apud ſæpe laudatum *Dn. Carpzovium* (c) videre licet, cui in ſimili caſu aliquot Scabinorum Lipſ. Reſponſa adduxit, alibi (d) autem & hoc *verſu* Sachſenburg an Erwin von Henſaw Hauptman *M. Iun. A. 1587.* Hat des

(a) *cauſa 1.*

(b) *d. q. 117. n. 45*

(c) *n. 47. ſeqq.*

(d) *part. 1. qu. 6. n. 17.*

Heimbürgen Knecht Hanſen Kehlen / alß ſich derſelbe beym Tantze etwas ungebührlich erzeiget / mit einem Stäbichen ufn Rükken geklopffet / und vermahnet / daß er ſich gebührlichen verhalten / und nicht vertröhen ſolle / Darauff Hanß Kehle nach endung des Tantzes demſelben mit einem Brodtmeſſer zween Stiche zugefüget / davon er alßbald niedergefallen und verſtorben / und es hat ſich inquiſitus zu ſolcher That freywillig bekandt / mit fürwenden / daß es auß Zorn geſchehen / und ihme leyd were / Do er nun uff ſeinem gethanen Bekäntnüs vor Gerichte freywillig verharren / oder des ſonſten wie recht überwieſen würde / So möchte er ſolcher begangenen und bekandten Entleibung halber / ſeines gethanen fürwendens ungeachtet / hinwieder mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode geſtrafft werden / V. R. W. Neque in ſolo delicto homicidii, verùm aliis quoque hoc obtinere, ut ſc. ira nullam reo excuſationem pariat, *idem* teſtatur *d. qu. 147. n. 52 & 53. & part. 1. qu. 38. n. 58. ſeqq.* Cùm tamen ira in duplici ſit differentia, aliaque ex juſta aut probabili cauſa proveniat, alia ex tali non proficiſcatur; idcircò dicendum eſt, quod qui ex magna quapiã cauſa & juſto dolore ad eã concitatus, puta ab altero provocatus aut alio modo offenſus, aliquid grave admiſit, à pœna ordinaria omninò abſolvendus ſit. (e) Difficillimum enim eſt juſtum dolorem temperare (f), & iram continere difficilius putatur, quàm miracula facere. (g) Hinc etiam videmus, quod illa ſæpè in crimẽ innocentes adducat (h). Sed tamen quicquid inconſulto fit calore, dolo caret & calumniæ vitio, indeq; talis ordinariam pœnam non ſubire debet (i), quia hoc non facit ex propoſito & animo ad peccandum deliberato (k): qui enim ira percitus

(c) *Idem d. qu. 6. n. 16.*

(f) *l. 38. §. 8. D. ad Leg. Iul. de adult.*

(g) *Menoch. de præſumt. lib. 5. præſ. 3. n. 117.* (h) *ut dicitur c. ira 58. cauſ. 11. qu. 3.* (i) *l. 1. §. 5. D. ad SC. Turpillian. Gail. d. obſerv. 110. n. 35.* (k) *Menoch. l. 2. cent. 4. caſ. 375. n. 33. de Arbitr. Iudic. quæſt.*

tus delinquit, non eſt in plenitudine intellectus (l), cùm ira mentis alienationem inducat & rationem perturbet (m). Quâ de re eleganter *Perſius*: (n)

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & ira,
Scintillant oculi: dicisq́; facisq́;, quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Atque ob eam cauſam fit, quod pater & maritus occidendo filiam ſive uxorem in adulterio deprehenſam, uti etiam adulterum ipſum, multum excuſentur ob juſtum dolorem exinde perceptum, & liberentur quandoque à pœna ordinaria, quandoque etiam in totum (o). Non abs re fuerit hic addere quæ *Valerius Maximus* (p) ad hanc materiam facientia narrat. Apud M. Pompilium enim Prætorem quædam cauſam dixit, quod matrem fuſte percuſſam interemerat: de quâ neutram in partem latæ ſententiæ ſunt: quia conſtabat, eandem veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos avia filiæ infenſa ſuſtulerat, parricidium ultam eſſe parricidio. Quorum alterum ultione dignum, alterum abſolutione non dignum judicatum eſt. Aliud idē refert de quadā matrefamilias Smyrnæa, quæ virum & filium venenis clam datis irata interemerat, quod ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa erat, occiſum comperiſſet. Quam rem Dolabella ad ſe delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegavit: quia ipſe neq; liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam, juſto dolore impulſam, ſuſtinebat. Illi autem inſpecta cauſa, & accuſatorem & ream poſt centum annos adeſſe juſſerunt: eodem affectu moti, quo Dolabella. Sic neque abſolutum mulieris veneficium eſt, quod per leges non licuit; neque nocens damnata punitaque, quæ digna venia fuit. Ante tamen poſita iræ diſtinctio non videtur locum habere in delictis graviſſimis, ut incendio; undè licet incendiarius

ab

(l) *Felin. ad c. dilecti. n. 12. in fin. X. de excep.* (m) *Idē Gail. obſerv. 106. n.* 10. (n) *Satyr.* 3. *v.* 116. (o) *l.* 38 §. 8. *D. ad Leg. Iul. de adult. l. 24. D. d. t. l. 4. C. eod. l.* 3. §. 3. *D. de SC. Silaniā. Tiraqu. cauſ. 1. n. 3. Carpz. n. 58. cū authorib allegat.* (p) *lib. 8 c. 1. in fin Gell. lib.* 12. *N. A. c. 7.*

ab alio ad iram concitatus fuerit, minimè tamen per eam excuſatur, uti apparet ex illis, quæ fusè *Dn. Carpzovius* (q) diſputat. Eſt verò tandem & ad hoc advertendum, utrum ira illa perquam peccatum eſt, levis fuerit, an verò magna, & quæ delinquentem quaſi à mente alienaverit. Hoc ultimo enim caſu reus mitius puniri debet (r). Irati enim, inquit *Gailius*, (s) toto animo conturbantur, rationis uſu carent, loqui neſciunt, ſenſibus uti non poſſunt, adeoque inſaniunt: proindè præſumitur in ijs abeſſe dolus, & voluntas nocendi, propter nimiam iracundiam, quæ tanquam furor arma miniſtrat. Sed cum difficile admodum ſit, talem iram probare, quæ delinquentem â mente quaſi alienaverit, ideò dicit *Dn. Carpzovius* (t), rariſſimè accidere, ut ob hanc cauſam pœna ordinaria mitigetur.

CAUSA x. eſt

NImius Amor: qui â Poëtis paſſim furor nuncupatur; uti quoque in Jure noſtro *Nov. 74.* (a) ubi dicitur, *nihil eſſe furore amoris vehementius; quem retinere Philoſophia ſit perfecta.* *Cicero* eodem prorſus modo (b): *Maximè* inquit, *admonendus eſt, quantus ſit furor amoris. Omnibus enim ex animi perturbationibus eſt profectò nulla vehementior.* A *Platone* (c) verò Tyrãnus vocatur amor, cujus incommoda eleganter deſcripta lege apud *Senecam in Hippolyt. A. 2. ſc. 1. & Plautum in Ciſtell. A. 2. ſc. 1.* Quæ porrò ſit ejus vehementia, vel ſequentia exempla docere poſſunt. Adoleſcens quidam Athenienſis ſtatuam Bonæ Fortunæ ad Prytaneum ſtantem deperibat, & ſæpè eam complexus ardentibus oſculis honorabat. Raptus in furorem propter cupiditatem â Senatu petiit, ut ſibi illam utcunque magno pretio liceret emere. Sed cum nihil proficeret, imagine coronis ornata oblatoque ei ſacrificio, profuſis innumerabilibus lacrymis ſemet-

(q) *cit. qu. 38. n. 61. ſeqq.* (r) *l. 2. C. de abolition. c. ſi quis iratus. 5. cauſ. 2. qu. 3. c. ira. 6. cauſ. 11. qu. 3. Decius ad l. quidquid. 48. de R. I. n. 7. & 8. Dn. Carpzov. d. loc. n. 60.* (s) *d. obſerv. 110 n. 35.* (t) *in fin. d. qu. 147.* (a) *c. 4. pr. ubi vid. Gothofred. ſub lit. D.* (b) *lib. 4. Tuſcul. quæſt. §. 75.* (c) *Dialog. de Republic. 9.*

ſemetipſum interfecit. (d) Ad eandem ferè rationem refe- runt, amore captum fuiſſe juvenem erga ſtatuam Veneris à Praxitele ſculptam, & cum delituiſſet noctu, ſimulacro cohæſiſſe, ejusq́ue cupiditatis fuiſſe indicem maculam. (e) Cumprimis verò admirationem meretur, quod *Busbequius* (f) narrat, de muliere quadam Turcica, quæ erga puellã tàm inſano amore exarſerit, ut ipſa ſexum mentita ſponſi vices ſubierit, & fraudes uſq́ue ad thalami ingreſſum occultaverit. Parentes, qui ſe filiam putabant elocaſſe viro deprehendentes fraudem, hunc fictum ſponſum ducunt ad præſidem Gianizarorum, qui per abſentiam Principis urbi præerat. Hic increpat mulieris tam grandis natu veſaniam; at illa: Abiſis, inquit, neſcis, quid valeat amor: faxit Deus, ne ejus vires unquam experiaris. Triſtius verò illud eſt, quod tempore Henrici IV. Galliarum Regis contigit. Nam nobilis quidam conjugem alterius, pulchritudine plurimas ſuperantem, efflictim amabat, & quoniã amore ejus perfrui haud poterat, non una vice violentas ipſimet ſibi manus inferre proponebat. Fœmina verò illa cùm febris vehementiâ intra viginti quatuor horarum ſpatium demortua eſſet, hic velut inſanus ac rabidus certò ſibi necem intuliſſet, nî conſilio miniſtri à perdito hoc animi furentis inſtituto retractus fuiſſet. Pertæſus tamen omnis gaudii ac voluptatis, ſumta hujus amicæ ſuæ effigie à pictore delineatæ in deſertum quoddam Ægypti ſe contulit, & extructa ibi ædicula in modum Capellæ, ac erecta ara, in quâ crucem Domini juxta amicæ imaginem poſuerat, dictam imaginem ſingulis fermè horis adoravit, tandemq́ue ibi in miſeria deſperatam vitam clauſit. (g) Eapropter, & quia amantes ſunt amentibus ſimiles, qui ſeipſos neſciunt, ac quid agant ignorant

(d) *Ælian. lib. 9. var. hiſtor 39*

(e) *Plin. lib. 36. c. 5. Valer. Maxim. lib. 8. c. 11. ext. 4.*

(f) *Epiſt 3. Turc.*

(g) *Martin, Zeiler. Hiſt. Tragic. 18. quem etiam vide hiſt. 23. de aliis qui præ amore mortui ſunt.*

rant, non immeritò Drēs ſtatuunt (h), quod ejuſmodi ta-lis, ſi quid delinquant, ſit mitior irroganda pœna. Imò planè impunitos eſſe relinquendos, qui præ nimio amore peccant, *Tiraquellus* exiſtimat (i). Secus tamen ſe res habet ſi quis non tali impetu aut furore amoris incenſus, licet amans, præmeditatum ſcelus committeret, veluti ſi juvenis de nocte ad alienam domum ſcalas applicaret, illuc intraret, & amicam ſuam carnaliter cognoſceret. (k) Quamvis & nonnulli putent, in praxi ſolum amorem mitigationem pœnæ non mereri, niſi aliæ circumſtantiæ concurrant: (l) quod tamen illi de Æquitate ſola forſan acceptum volunt: quin enim amor in danda Gratia à Principe queat reſpici, nullus equidem dubito.

CAUSA XI. eſt

SExus fœmininus. Habito enim reſpectu imbecillitatis illius quæ fœminis omnibus eſt communis, mitior eis eſt pœna imponenda (a). Undè & Ericus vir multæ prudentiæ contendit, muliebribus erratis ſæpius ignoſcendum eſſe, nec pœnam infligendam niſi correctio culpam nequiviſſet corrigere. (b) Ac notabile eſt, quod *Plinius* (c) refert, Leonem ubi ſævit, in viros magis, quam fœminas fremere: quaſi eum natura docuerit, fœminas clementius, quam mares, eſſe tractandas. Exemplo hoc expreſſit Aurelianus Imp. (d) Cùm enim Zenobiam milites ad pœnam requirerent, quod imperium ſibi uſurpaverat, vitâ eam donavit; indignum ratus mulierem interimere. Ratio eorum quæ dixi-

(h) *Iul. Clar. in lib. 5. practic. §. final. quæſt. 60. n. 7. verſ. eſt & amor. Iac. Menoch. de arbitr. Iudic. quæſt. lib. 2. caſ. 328 n. 1. Carpz. part. 2. qu. 61. n. 59.* (i) *cauſ. 4. n. 3. quē vide, & Claſen. d. cap. 13. cauſ. 2.* (k) *Vid. Farinac. prax. cr. part. 3. qu. 98. n. 80.* (l) *Cortrei d. diſp. th. 47. in fin.* (a) *l. 38. §. 4. & 7. D. ad Leg. Iul. de adult. l. 6. pr. D. ad Leg. Iul. peculat. l. 5 §. 3. C. ad Leg. Iul. Maieſt. c. ſicut. 6. X. de homicid. c. indignantur. 32. qu. 6. Tiraquell. cauſ. 9. n. 1. ſeqq. & lib. 1. Connub. gl. 1. n. 85. Farinac. part. 3. qu. 98. n. 1.* (b) *Saxo Hiſtor. Danic. lib. 5. & ex hoc Tiraquell. cauſ. 9. n. 2.* (c) *lib. 8. Hiſt. Natur.* (d) *Vopiſcus in vit. Aurelian.*

diximus, eſt naturalis hujus ſexus infirmitas, ad labendum proclivitas, ac minor reſiſtendi facultas. (Vide tamen *Senecam conſolat. ad Marciam cap. 16.*) Undè non difficulter ad aliquid perſuaderi poſſunt, ut quæ flammis præſertim venereis vix reſiſtere valent. Hinc *Seneca Tragicus:* (e)

Quid ſinat inauſum fœmina præceps furor?

Imò minus rationis fœmina, quam mas, habere putatur; (f) quod ſuo loco relinquimus. Illud verò certum eſt, quod nec omnibus ſit ignoſcendum, nec etiam planè impunitæ dimitti debeant. Quid dicam? in delictis, pro quibus pœna mortis Jure Divino ſtatuta eſt, ut homicidio, adulterio, & ſimilibus, neutiquam magis, quam viris, iis eſt parcendum, aut aliquid indulgendum; (g) imo in cœteris etiam non niſi in caſibus in iure expreſſis ſexus ratio eſt habenda. (h)

(e) *in Hippolyt. act. 2. choro.*

(f) *Tiraq. quell. ib. n. 5.*

(g) *Dn. Carpz. part. 2. qu. 53. n. 19. qu. 54 n. 22. & part. 1. qu. 50. n. 10. ſeqq. Claſen. cap. 14. cauſ. 20.*

(h) *l. fin. C. de iur. & fact. ignor. Dn. Carpz. part. 1. qu. 12. n. 16.*

CAUSA XII. eſt

Ruſticitas. Quoniam enim ruſtici utplurimum ſunt obtuſo & ſaxeo ingenio, ac vacui, ut dicitur, capitis, ideò ferè non dolo ſed inſulſitate creduntur delinquere, & propterea paulò mitius puniendos eſſe exiſtimant. (a) Notabilem tamen hoc limitationem recipit, quod ſcilicet in delictis Jure Divino, Naturali, Gentium, & Civili notorio prohibitis, ac illis quæ contra ſpeciem honeſtatis fiunt, ruſticitas minimè excuſet, ac propterea tales pœnâ ordinaria non ſint eximendi (b). Neque etiam hoc intelligendum fuerit de quovis ruſtico, ſed tantùm de verè ſimplici ac rudi. Nã quia multi inter illos ſic ſatis ſunt ſagaces, callidi, ac inſignes veteratores, ideò nulla omnino Gratia digni ſunt: imò delictis potius feneſtra aperiretur, ſi talibus parceretur. Eſt etiam hoc notandum, quod prædicta non procedant in iis, quæ ſunt introducta ad rigorem iuris conſervandum; in his

 enim

(a) *Tiraquell. cauſ. 11. n. 1. & ſeqq. ubi multis hoc auctoritatibus probat.* (b) *Idem n. 7. & ſeqq. Dn. Carpz. part. 1. qu. 45. n. 44. Claſen. c. 14. cauſ. 18.*

enim ruſticitati nihil indulgetur. Deindè verò licet ruſticis aliquid ſit dandum errantibus in JureCivili intricato & ſubtili, tamen nec hoc locum habebit; ſi peritiores conſulere potuerint (c). Nam cum homo naturaliter ſcire deſideret, ideò quaſi contra naturam agunt ruſtici non conſulendo prudentiores, quorum doctrina mens eorum illuminetur. Quamvis autem in loco habitationis nullus juris peritus inveniatur, ruſticus tamen nondum excuſatur, ſi in vicina quadam civitate tales haberi queant. Undè *Tiraquellus* (d) teſtatur, Ddres dicere ſolere: *Quemadmodum mulieres eunt ad civitatem pro indulgentiis, & ruſtici ad nemus pro lignis, ita debent ire ad civitates pro conſiliis.* Tandem obſervandum eſt, quod ruſtici delinquentes excuſentur tantummodo in caſibus, qui in jure expreſsè ſunt definiti; aliàs in dubio ruſticitati minimè favetur. (e)

CAUSA XIII. eſt

SUbtilitas ingens & inſigne artificium. Quod ſi enim levius ſunt plectendi qui per magnam ſimplicitatem aut ruſticitatem peccaverunt, ut præcedenti cauſa monſtratum; quidni etiam horum nimiæ ſubtilitati miſericordia tribuatur, cùm æquè ſine dolo, ac illi, peccare videantur. Illos enim, ne verum videant & ſequantur, agreſtis ignorantia impedit; hos nimia eaque falſa ſubulitas decipit, in quam non cadunt voluntarii, ſed veluti inviti. (a) Alterum hujus cauſæ membrum poſuimus inſigne artificium: quò & robur excellens referri debet. Nam propter hæc quoque non ita ſtrictè in reum eſt animadvertendum, non ſaltim ob honorem artis, ſed cumprimis ut plura artificia ſimilia edere poſſit, & Reipublicæ proindè utilis exiſtat. (b) Quod non obſcurè innuitur in *L. ad beſtias, 31. D. de pœn.* ubi dicitur: *Ad beſtias damnatus favore populi Præſes dimittere non debet, ſed ſi eius roboris vel artificy ſint, ut dignè populo*

(c) *per l. 10. D. de bonor. poſſeſſ. & l. 2. §. ult. D. quis ordo in poſſeſſ. ſerv.*
(d) *n. 22.*
(e) *Dn. Carpz. d. loc. n. 45. Tiraqu. ib. n. ult. Claſen. cit. loc.*
(a) *Tiraqu. cauſ. 13. n. 1.*
(b) *Idem cauſ. 50. n. 1. Dn. Carpzov qu. 149. n. 62. & auth. alleg. Claſen. d. cap. 14. cauſ. 21.*

pulo

pulo Romano exhiberi poſsint, principem conſulere debet. Ex quo textu præterea Ddres colligunt, nonniſi conſulto Principe reo, robore vel artificio aliquo inſigni prædito, pœnam ordinariam eſſe remittendam; ita ut Judici inferiori hoc integrũ non ſit, niſi ſit loco Principis, vel Princeps conſentiat. (c) Quod etiam in pronunciando ſecuti ſunt *Dnn. Scabini, quando ad requiſitionem Præfecti in* Sittichenbach *M. Novembr. A. 1586. h. m. reſponderunt:* So viel die in eurer Frage / und des Gefangenen Freunden Schreiben / angezogene Urſachen anlanget / alß nemlich / daß der Gefangene ein Kunſtreicher Meiſter ſeyn ſol / ſtehet es bey der hohen Obrigkeit / ob ſie in Anſehung deſſen / ihme Gnade erzeigen und die Straffe des Stranges lindern wolle / etc. Exemplum verò talis mitigationis *Dn. D. Claſenius* adducit, dicitque quondam in patria ſua cœcum ob hiſtoriam extremi judicii artificiosè in ligno ab ipſo elaboratam capitalem non ſubiiſſe pœnam, verùm benignius cum eo actum fuiſſe. Miratur contra *Tiraquellus* (d) Tiberii Cæſaris crudelitatem, cui cum aliquis pateram vitream obtuliſſet, eo artificio factam, ut vitrum flexibile eſſet, ſciſcitatus eſt ab eo, à quô hanc artem didiciſſet, & num alterum eam docuiſſet? Cumque artifex reſponderet, ipſum ſe ſine auctore & magiſtro didiciſſe, neminem autem docuiſſe, continuò illum interfici juſſit, atq; totam ejus officinam aboleri, ne ſcilicet æri, argento, auro & metallo, quibus ipſe abundabat, pretia detraherentur. Atque hæc quidem ita narrat *Plinius* (e), qui tamen ipſe dicit, famam eam crebriorem fuiſſe, quàm certiorem. Cæterum ea quæ diximus hanc limitationem recipiunt, ut ſi artifex ille vel homo robuſtus, ſit manifeſtus latro, ſeditioſus, factioſus, & id genus ſceleratus nebulo, dicendum ſit, hunc ſine omni Gratia & vel inconſulto Principe morti adjudicandum & tradendum eſſe (f)

(c) *citat. authbor. & Cortrei. th. 58.*

(d) *d. cauſ. 50. n. 3.*

(e) *lib. 36 c. 26.*

(f) *per l. 6. §. 9. D. de ininſt. rupt. irrit. fact. teſtam. Tiraquell. d. loc. n. 2.*

REi Nobilitas: de quâ communiter Ddres ſtatuunt, poſſe eam pœnæ mitigationem operari. (a) Laudatiſſimus tamen *Dn. Carpzovius*, poſtquam multos juris textt. pro & contra hanc ſententiam adduxit, tandem negativam comprobat, & dicit, Nobilitatem ac dignitatem neutiquam poſſe reum a'b ordinaria pœna liberare. Quod ſanè ſuo ſenſu ipſi largiri volumus, ut qui nec aliter hoc intelligere videtur, quàm de mitigatione illa, quæ ex Æquitate procedit. Colligimus hoc indè, quia judicis mentionem facit (b), cui tamen ſola æquitatis obſervatio, neutiquam verò jus aggratiandi competit, ut ſupra multoties monſtratum fuit. Nobis verò hic cumprimis ſermo eſt de cauſis illis, quæ Majeſtatem movere ſolent ad Gratiam delinquenti faciendam; licet (quod liberè fatemur,) Ddres ſecuti in antecedentibus tales cauſas poſuerimus, quæ totæ Æquitatem magis quàm Gratiam ſapiunt. Atque adeo cenſemus Nobilitatem adhùc tanti pretii rem eſſe, quæ Gratiam non injuſtam in Majeſtate (cæteris tamen paribus, ut dici ſolet) ad lenius animadvertendum excitare queat. Et hinc neque uſum aut practicam fori Saxonici, de quâ ibi *Dn. Carpzovius* teſtatur, multum morantes, veſtigia legimus eminentiſſimi Jureconſulti *Andreæ Tiraquelli*, Regii quondam in Curia Pariſienſi Senatoris, ac concludimus: propter dignitatem & natales poſſe cum delinquente mitius agi. Præterquam enim, quod hæc ſententia plurimis juris noſtri tam Civilis quam Canonici textibus (c) eſt conveniens, etiam illa non omni-

(a) *vide Tiraqu. cauſa 31. n. 1. ubi numero Ddres allegat: & Carpzov. qu. 149. n. 32.*

(b) *n. 41.*

(c) *l. 6. pr. & §. 2. D ad Leg. Jul. pecul. l. ult. §. 1. D. de incend. ruin. naufrag. l. 4 § 1. D. eod. tit. l. 6. pr. ibi: humiliores ad opus publicum dari. D. de extraord. crimin. l. ult. D. de ſepulchr. violat. l. 1. §. 3. D. de abigeis. l. 3. §. 5. D. ad Leg. Cornel. de ſicar. l. 1. in fin. D. de furib. balnear. l. 1. §. 1. & in fin. D. de effractor. l. 8. §. 3. in fin. C. de hæretic. l. 2. C. ut nemo privat. titul. l. 8. C. ad Leg. Jul. de vi public. l. 11. C. de quæſtion. c. fin. X. de pœn. c. qui contra. 24. qu. 1. Vide Tiraqu. d. cauſ. 31. n. 1. ubi plures adhùc ll. citat.*

ómnino ab Æquitate aliena eſſe videtur. Imò ſi nunquam diverſa ratio obſervaretur inter hominem plebeium & Nobilem, poſſes aliquando dicere, injuſtam eſſe quoad hunc pœnam, ob nimiam gravitatem, quæ tamen ruſtico tolerabilis eſſet, aut inſufficiens. Præterea vides & à medicis, quanquam in adverſa valetudine nihil ſervi à liberis differant, mollius tamen liberos clementiuſque tractari: (d) quidni & Nobiles præ cæteris tractandi mitius? quorum ſanè virtus Reipublicæ fructuoſa eſſe poteſt. (e) Atq; ad hunc modum Scaurus, cuius ſalus obruebatur criminibus, propter vetuſtiſſimam tamen Nobilitatem, & recentem patris memoriam abſolutus fuit. (f) Ita quoque familia Claudia requiſivit populum, ut Appius Claudius Decemvir, qui reus erat, Claudiorum Nobilitati condonaretur. (g) Apud *Suetoniũ* (h) C. Lectorius, adoleſcens Patritii generis, in deprecanda graviore pœna adulterii, natales inter cætera allegat. Porrò cùm pœna laquei ſit longè viliſſima, fœdiſſima ac ignominioſiſſima omnium pœnarum (i), non immeritò dicetur, Nobiles & ingenuos ea non debere plecti. Et quanquam apud quoſdam populos id genus mortis non ignominioſum exiſtimetur: quod de Gallis ſcribit *Bartolus* (k), dicens, ibi non ita infamem eſſe hanc pœnam, ut in Italia: hoc tamen ſuo tempore non obtinuiſſe, ut ſc. Nobilium aliquis ſuſpenſus fuerit, *Tiraquellus* affirmat, niſi Nobiles illi aut in dignitate conſtituti crimina quæpiam ſordida commiſerint. Apud plurimos autem Germanorũ eam mortem olim non fuiſſe deformem habitam, ut qui morientiũ propinquorum gulam laqueo frangerent, quibuſdam traditur. (l) Tibareni quoque, quos impensè dilexerant, ſenes ſuſpen

(d) *Plin. 8. Epiſt 6.* (e) *Nobiliſſ. Georg.* Schönborn *Polit. lib. 3. cap. 20. pag. m. 229.* (f) *Valer. Maxim. lib. 8. c. 1. abſolut.* 10. (g) *Livius decad.* 1. *lib. 3.* (h) *in Auguſt c. 5.* (i) *quod latè probat Tiraqu. n. 3. & ſeqq.* (k) *in l. 3.* § 1. *D. de re militar.* (l) *Bardeſanes in dialog. de Fato. Euſeb. de præparat. Evangelic. lib. 6. c. 8. cit. Tiraqu. n. 6. quem vide.*

(m) D. ſuſpendebant in patibulis. (m) Deindè vero & hoc DDres volunt, Nobiles criminis reos, non eſſe carceribus includendos, ſed honeſto loco aſſervandos: ac ſi quando pro delicti qualitate cauſam in vinculis dicere debent, non adeo ſtrictè detinendos. Indè *Baldus* (n) dicit, debere eos honeſtè in Palatio cuſtodiri: & *Angelus* (o), poſſe Nobili non ſolùm totum Palatium pro carcere aſſignari, ſed & totam civitatem: atque ita facientem ſatisfacere ſtatuto diſponenti, quod accuſatus de delicto debeat poni in carceribus. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi eiuſmodi Nobilis ſemel aufugerit è Palatio, quod pro carcere ipſi aſſignatum erat. Poſtea enim in carcere & vinculis eſt detinendus, nec datis fideiuſſoribus relaxandus (p) Tandem conſtat, regulariter nec torturæ Nobiles ſubjici: (q) adeo ut Judex, qui Nobilē ſine ſufficienti cauſa torturæ ſubjecerit, capitaliter delinquere dicatur: (r) nec conſuetudo in contrarium valeat. (s) Liquet igitur multò magis in pœnis infligendis mitius agendū eſſe cum Nobilibus. Quæ tamen poſitio multas limitationes recipit. *Primò* enim hoc intelligendum eſt, niſi dignitas aut Nobilitas augeat delictum, quod ſanè plerumque facit. Benè enim *Iuvenalis* canit: (t)

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur.

Tum ergo quando Nobilitas crimen exaſperat, gravius puniuntur in dignitate conſtituti, ſicuti gravius peccant. (u) Dicitur vero crimen dignitate augeri, cùm in his peccamus,

quæ

(m) D. *Hieronym. in Iovinian lib.2.* (n) *in l. 2. column. 2. verſ. aut pœna eſt. C. de exhibend. reis.* (o) *in l. penult. D. quod met. cauſ* (p) *per gloſſ. not. quam ſequuntur Bald. & Rom. in l. lege Cornelia verb. ex vinculis. D. de SC. Silanian.*

(q) *l.33 C. de decurionib. l.10. C. de dignitat. l.8. l.11. C. de quæſtionib. l.4 C. ad leg. Iul. Maieſt. l.3. §.1. D. de re militar. c. nullus. 6. qu. 1.* (r) *Baldus in l. decuriones. C. de quæſtion.* (s) *Dn.* Schönborn. *d. loc. c. 39. pag. m. 252.* (t) *Satyr. 8. v. 140.* (u) *l. 14. D. de pœn. l.3. §.10. D. de re militar. l.8. C. de Epiſcop. & Cleric. l. unic. in fin. C. de conduct. & procur.*

quæ dignitatem noſtram concernunt, atque illius adminiſtrationem: vel in illis, propter quæ dignitatem & honorem conſecuti ſumus: vel cum delictum cedit in dedecus & contumeliam ipſius dignitatis (x). Tale crimen eſt proditio: nam propter hanc quis Nobilitatem amittit, & ejus inſignia ſunt delenda (y), ipſeque altioribus furcis ſuſpendendus, uti in Regno Galliæ obſervari *Baldus* (z) tradit. *Secundò*, quod de mitigatione pœnæ Nobilium diximus, locum tantùm habet in pœnis criminalibus: at in pecuniariis magis ſunt puniendi, ut qui plus quoque in ære ſolent habere. (a) Ratio horum non latere poteſt. Quoad criminales enim certum eſt, quod homo ingenuus ac Nobilis magis affligatur parvâ aliquâ pœnâ, quàm magna vulgaris aut ruſticus. Ideoque modica etiam caſtigatio in eo major reputatur, quàm magna in plebeio. Contra accidit in pecuniariis. Has enim ferè Nobilitas, ut frequenter locuples, non timere ſolet, niſi paulò ſint intenſiores: cùm contra ſecundùm *Accurſium* (b) tenuioris fortunæ homines non pluris lumen ſive oculum æſtiment, quàm porcellum. Pertinet hûc non inelegans hiſtoria, quam *A. Gellius* (c) refert, ea quæ diximus benè comprobans. Scriptum erat in Legg. XII. Tabb: *Si injuriam faxit alteri, viginti quinq; æris pœnæ ſunto.* Hoc abuſus fuit quidam Lucius Veratius (*Tiraquellus* legit Neratius), egregiè improbus homo, atque immani vecordia. Is enim pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuæ palma verberare. Sequebatur eum ſervus, crumenam plenam aſſium portitans: &, quemcunque depalmaverat, ei numerari ſtatim ſecundum XII. Tabulas viginti & quinq; aſſes jubebat. Propterea Prætores poſtea hanc pœnam abolere & relinqui cenſuerunt; injuriisque æſtimandis recuperatores ſe daturos edixerunt. *Tertiò* quod diximus Nobiles debere mitius puniri quàm ignobiles, non procedit in

(x) *Tiraq. ell. ib. n. 15.*
(y) *l. 24. D. de pœn.*
(z) *in cap. cum quidam. X. de iurejur.*
(a) *l. properandū. 13. §. 8. C. de iudiciis.*
(b) *in l. illicitas. 6. §. ne potentiores. verb. lumine unico. D. de offic. Præſid.*
(c) *libr. ult. N. A. cap. 1.*

pœnis relativis, puta ſi Nobilis accuſet plebeium, nec delictum probet: nam tunc eadem pœna afficiendus eſt, quâ puniri plebeius debuiſſet, ſi crimen probatum fuiſſet. (d) *Quartò* non habet locum pœnæ mitigatio, ſi fortè aliter ſuaſerit fieri nimia rei contumacia. (e) Quod vitium cùm in Nobilibus non infrequens eſſe ſoleat, ideò graviore caſtigatione eſt coërcendum, ut ſint exemplo cœteris. (f) *Quintò* quoad Judicis in hâc materiâ poteſtatem (nam de Majeſtate quid attinet dicere, cum hæc ipſa civilium legum ſit domina?) Dicendū ergò eſt, eum in pœnis ſaltim arbitrariis poſſe remiſſionem facere Nobilibus, non verò in illis, quæ certæ ſunt ex legibus vel ſtatutis: niſi forſan juſta aliqua & urgens cauſa hoc ipſum ſuadeat, quæ tamen Æquitatē magis quàm Gratiam in remittendo arguat. *Sexto* tandem prædicta intellige cum hâc limitatione, niſi ſtatutum aliquod expreſsè diſponat, ut Nobiles gravius quàm ignobiles puniantur. Cujuſmodi ſtatuta in multis locis Italiæ, ut in Tuſcia & alibi, vigere perhibetur: (g) quæ ſanè valent, cumprimis iis in locis, in quibus Nobiles admodum ſunt ad vitia proclives. (h) Claudam interea verbis *Tully:* (i) *Omnes boni ſemper nobilitati favemus, & quia utile eſt Reipublicæ nobileis homines eſſe, dignos maioribus ſuis, & quia valet apud nos clarorum hominum, & benè de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum.*

(d) *per l. 4. C. de cuſtod. reor. Tiraquell. n. 30.* (e) *cap. 2. in fin. de offic. & poteſt. iud. deleg. in 6.* (f) *l. 16. §. ult. D. de pœn.* (g) *Salyzcet. in l. 1. colum. 8. C. de rapt. virg.* (h) *Tiraqu. d. cauſa 31. n. 36. & tract. de Nobilit. c. 37.* (i) *Pro Sext. §. 21.*

CAUSA XV. eſt

Meritum, & eximia virtus, quâ delinquens ad civitatis commodū uſus fuit: ut ſi hoſtes prodiderit, cauſam vincendi illos præbuerit, vel alio modo bonū publicū promoverit. Et hoc cumprimis locum habet, quando delictum non eſt divina lege capitale, aut aliàs reus plus Reipubl. profuit, quàm per hoc peccatum nocuit: vel etiam ipſum peccatum Reipubl. cum utilitate conjunctum eſt. Spectat hùc

text.

text. in L. neceſſarium. 2. §. 7. D. de origine Jur. ubi cum Flavius Scriba librum legum Appio Claudio ſurripuiſſet, cumque populo tradidiſſet, non ſolùm non punitus fuit, quod ſurripuerat, ſed adeò gratum fuit id munus populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Ædilis curulis. Eſt quoque alius text. *in L. non omnes. 5. §. ult. D. de re milit.* ubi dicitur, ei eſſe parcendum, qui transfugit, & poſtea multos latrones adprehendit, & transfugas demonſtravit. Ac licet multæ LL. generaliter loquentes velint, ut non præmiis ſed pœnis delinquentes afficiantur: tamen Ddres eas non extendunt ad caſum, quô reus aliquid præclarum in commodum Reipubl. peregit. Tunc enim Superior pro remuneratione ei impunitatem largiri poterit, aliquando etiam præmio inſuper donare. (a) Et ob hanc cauſam *Cicero* plures defendit, ut ex Orationibus ejus liquet. Nam *Semper,* ait (b), *graves & ſapientes judices in rebus judicandis, quid utilitas civitatis, quid communis ſalus, quid Reipubl. tempora poſcerent, cogitaverunt.* Exemplo eſt M. Horatius, qui in manifeſto ſororicidio à populo abſolutus eſt, quod imperium ejuſdem populi adverſus Albanos virtute pepeˈriſſet ſua. Ut tamen aperta cædes aliquo piaculo lueretur, imperatum Patri Horatii, ut filium expiaret pecunia publica. (c) Spectat & huc quod *Ludovicus Bolognetus* (d) narrat, nempe fuiſſe furem quendam pœna ordinaria liberatum, quod Conſuli indicaſſet, ejus vitæ ſtrui inſidias. Nec verò propria tantùm merita prodeſſe debent ad tollendam vel leniendam delinquentis pœnam; ſed majorum quoque præclarè facta ac beneficia in Rempublicam collata. Nam & hæc ad poſteros tranſeunt: & noſtris quoque legibus filii ob merita parentum remunerantur (e). Veniæ talis exemplum in Plautio Laterano Meſſallinæ adultero habetur, cui mors

(a) *Tiraquell. cauſ. 49. n. 2.*

(b) *Orat. pro Flacc. §. 58.*

(c) *Livius lib. 1.*

(d) *cit. Dn. Claſen. cap. 14. cauſ. 12.*

(e) *l. 11. §. 1. verſ. filios autem. l. 13. verſ. filiis ſcilicet. C. de advoc. diverſ. judicior. l. 3. §. 5. C. de advocat. diverſ. judicum.*

mors quàm ſceleribus meruerat, ob egregium patrui meritum remiſſa fuit. (f) Omnia tamen hactenus aſſerta hanc exceptionem habent, niſi quis in ipſam Rempubl. crimen atrox graviſſimumque ſit molitus: talem enim non magis merita ſua à punitione tàm ſceleſti facinoris vindicare cenſuerim, quàm olim vindicavêre Sp. Caſſium, quem ob affectatam tyrannidem, nullâ nec rerum geſtarum, nec honorum ratione habita, Populus Rom. capite multavit. (g) Paris exempli eſt ille M. Manlii exitus, qui ob defenſum Capitolium Capitolinus dictus eſt. Is enim licet ſexdecim annos voluntarium militem pro Republ. ſe obtuliſſet, triginta ſeptem militaribus donis à ſuis ducibus ornatus eſſet, viginti tres cicatrices in pectore habuiſſet, capta urbe auctor in Capitolium fugiendi Gallos aſcendentes dejeciſſet, Patronus à civibus appellatus, & farre donatus fuiſſet, donum etiam in Capitolio publicè accepiſſet; attamen quoniam regnum affectare, & Populi libertatem opprimere convictus erat, nullo tantorum in Rempubl. meritorum habito reſpectu, de ſaxo Tarpejo præcipitatus eſt. Adjectæ inſuper mortuo notæ ſunt, publica una: ne quis Patricius in arce aut capitolio habitaret; altera gentilitia: ne cui poſthâc de Manlia gente Marci cognomen eſſet. (h) Quod factum, & ſimilia alia *Portius Latro* hoc modo comprobat: (i) *Rectè,* ait, *majores noſtri ſummis laudibus efferendi ſunt, qui Sp. Melium, qui Gracchos, qui Manlium Capitolinum, qui Druſum, qui Saturninum, fortiſſimos homines, & Reipublicæ ſæpenumero non mediocriter opitulatos, quod deveniſſent in affectatæ Tyrannidis ſuſpicionem, morte multandos eſſe putaverunt. Nec Sp. Melium favor ampliſſimus civitatis, nec Gracchos avi ſui ampliſſimi viri memoria, nec Manlios celeberrima gloria Capitolii liberati, nec Druſo ſanctiſſimi ſui penates, nec Saturnino jus ſacroſanctæ dignitatis auxiliata ſunt.*

(f) *Tacit. A. 11, 36, 4.*

(g) *Liv. lib. 2.*

(h) *Liv. lib. 6. c. 20. Valer Max. lib 6. cap. 3. exempl. 1.*

(i) *declamat. in Catilin. citante Tiraqu. cauſ. 49. n. 15.*

CAU-

CAUSA XVI. eſt

OFficium; puta ſi quis ratione adminiſtrationis aliquid agendo in exceſſu vel defectu peccaverit; tùm enim mitior ipſi pœna dictari debet. (a) Nam creditur bono Zelo, non dolo malo, medium exceſſiſſe. Ubi tamen cautione opus eſt, & diſpiciendum, an quis ex odio vel inimicitia aliove malo propoſito deliquerit, & officio crimen tantùm palliare intendat; an verò reverâ in adminiſtratione modum ſupergreſſus ſit, vel ratione officii quid ſuſceperit, ex quô citra intentionem peccandi delictum reſultaverit. Priori caſu, cùm in eo inſignis dolus deprehendatur, augendam ipſi potius, (ponderatis tamen circumſtantiis,) quam minuendam pœnam dixerim: poſteriori autem paulò mitius in eum animadverti, forſan non iniquum fuerit. (b) Poſſit & hoc dici, quod ſcilicet in dubiis quis ratione officii excuſetur â dolo & calumnia: nam ne quidem in culpa officialis eſſe præſumitur, ubi privatus præſumeretur: (c) in apertis verô, hoc eſt, ubi delictum manifeſtò conſtat, haud remiſſius cum eo agi debeat. Etenim officium non excuſat maleficium; ſed tamen inducit præſumtionem, quod non ſit maleficium, niſi tale evidenter appareat. (d)

CAUSA XVII. eſt

PAupertas, quæ meritò quoque pœnæ mitigationem tribuit. (a) Eſt quidem nunquam licitum obtentu paupertatis delinquere: (b) attamen quis non miſericordia tangatur erga illum, cujus ſæpè omnibus neceſſariis deſtituti forte non malignum animum neceſſitas ad peccandum adigit? Qui autem hic inter multam & pœnam diſtinguunt, (d) putantes quoad illam, non quoad hanc pauperibus aliquid poſſe indulgeri; illi verò nihil faciunt. Præterea enim quod

(a) l. 55. § 1. D. de adminiſtrat. & pericul. tutor. l. 6. D. de publican. & vectigal. c. ſi verò. 3. X. de ſentent. excomm. Tiraqu. cauſ. 58. n. 1. (b) Dn. Claſen. cauſ. 14. (c) Bald. in l. 2. C. qui accuſar. non poſſ. (d) Tiraquell. ib. n. 9. (a) Bald. ad l. certa ratione, col. 3. verſ. illud etiam nota. C. quando provoc. non eſt neceſſ. Iaſon. in l. 1. in pr. col. ult. D. ſi quis ius dic. non obtemp. (b) l. 43. §. 5. D. de ritu nupt. c. quoniam. 40. X. de Simon.

lex hanc diſtinctionem ignoret, quis ſibi tantum ſumat, ut Summorum Principum poteſtatem in jure concedendæ veniæ limitare audeat? Itaque benè mitigatio in paupere locum habebit, niſi delictum tantæ ſit atrocitatis, cui à divina Majeſtate pœna mortis impoſita ſit. (c) Sub paupertatis nomine etiam comprehendo neceſſitatem famis & ſitis, quâ compulſus ſi quid admiſerit, cum illo mitius omninò agendum erit. Quis enim, ſit licet firmiſſimi tali, immotus perſtet

Cùm figit Adamantinos
Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos? — — — — (d)

Hùc pertinet, quod dicitur: *Neceſſitatem non habere legem:* (e) & rurſum; *quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.* (f) Verè namque *Thales Mileſius* dixit: ἰσχυρότατον ἀνάγκη, κρατεῖ γὰρ πάντων. (g) *Validiſſima res eſt neceſſitas, omnibus enim prævalet:* & *Menander*;

ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δουλοῦται τάχα.
A neceſſitate omnia in ſervitutem rediguntur velociter.

Ratio iſtorum eſt, quoniam ſtomachus nullius verba magiſtri audit; & anima, quam vegetativam Philoſophi adpellant, rationis imperio obſequi nequit.

CAUSA XIIX. eſt

MUltitudo liberorum. Nam & hanc pœnæ mitigationem operari poſſe autumant: (a) Undè & *Quintilianus* (b) dicit, quod in condemnationibus momentum afferant ætas, & ſexus, & pignora, hoc eſt, liberi, & parentes, & propinqui: ac ſuadet, ut periclitantes eos in judicio producamus ſqualidos atque deformes tàm liberos quàm parentes. Item putat, quod obſecratio illa judicum per chariſſima

(c) *Dn. Claſen. cauſ. 15.*
(d) *Horat. lib. 3 Od. 24.*
(e) *c. ſicut. de cõſecr. diſtinct. 1.*
(f) *c. quod nõ eſt. X. de reg. iur.*
(g) *Plutarch. lib. 3. de placit. Philoſophor. c. 25. Diog. Laërt. in ipſius vit.*

(a) *per l. 7. §. 3. D. de bonis damnat. l. 57. §. 1. de ritu nuptiar. c. inteleximus, 2. X. de his qui fil. occid. c. quia circa. X. de conſangu. & affinit. Tiraquell. cauſ. 26. n. 1. & auctor. ibi allegati.* (b) *lib. 6. Inſtit. Orat.*

ma pignora, ſi reo ſint liberi, conjux, parentes, utique utilis futura ſit. Exemplum exhibitæ hôc modô Gratiæ in Sergio Galba à ſcriptoribus proponitur. Is enim cùm à Libone Trib. pleb. pro roſtris vehementer increparetur, quod Luſitanorum magnam manum interpoſita fide Prætor in Hiſpania interemiſſet; M. quoque Cato Cenſorius luculenta oratione in illum invectus actioni Tribuniciæ ſubſcriberet: reus pro ſe jam nihil recuſans, liberos ſuos parvulos filiumque Sulpicii Galbæ, cujus tutor erat, ſuis ipſe manibus circumferens, flens commendare iſtos cœpit. Quò facto mitigata concione, qui omnium conſenſu periturus erat, penè nullum triſte ſuffragium habuit. Miſericordia ergo illam quæſtionem, non æquitas rexit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequierat abſolutio, reſpectu puerorum data eſt, ut *Valerius Maximus* loquitur (c). Simile aliud de Menecrate Maſſilienſi refertur, qui cum à ſexcentum viris condemnatus, facultatibus exutus, & infamis pronunciatus fuiſſet, tandem tamen Gratiam impetravit, quoniam curia ſuper ipſius nepote commota, pœnam remiſit, eumque rei ſuæ & famæ reſtituit.

(c) *lib. 5 cap. 1. abſolut. 2. Florus Epit. Liv. lib. 49.*

CAUSA XIX. eſt

IMprudentia ſeu Ignorantia. Nam & hæc prout aliquando ſe habet ſeu qualificata eſt, pœnæ vel plenam remiſſionem, vel ſaltim mitigationem tribuit. Non ſine causa autem has voces conjunximus, quoniam quæ Philoſophis Ignorantia, JCtis Imprudentia ferè dici ſolet; & quod illis eſt per Ignorantiam agere, id hi per imprudentiam facere vocant. (a) Ut verò melius hæc materia omnis percipiatur, juvat ex Philoſophorum ſchola repetere, quod Ignorantia omnis ſit actum voluntatis vel *concomitans*, vel *conſequens*, vel *antecedens*: item alia *vincibilis*, alia *invincibilis*: rurſum quædam *univerſalium*, quædam *ſingularium*

(a) *Dn. D. Meier in Præl. priv. in Ariſt. lib 3. Nicom cap. 1.*

larium; & tandem aliqua *iuris*, aliqua *facti*: quarum igno-
(b) *lib.3. Nicom. cap.1.* rantiarum omnium definitiones poſt *Ariſtotelem* (b) quis petere poteſt ex *B. D. Horneio* (c) *Iohanne Conrado Dürrio*, (d) & aliis Moralis Philoſophiæ Scriptoribus. Cùm autem hic loci nobis quæſtio ſit de excuſatione delicti ex ignorantia commiſſi, nihil verò quod invitum eſt, delictum propriè vocari queat, ideò diſpiciendum erit, quæ ignorantia actionem invitam reddat, & ſic abſolutionem à pœna ordinaria tribuat. Reddit autem tum demum ignorantia actionem invitam, quando facit, ut quis id velit, quod planè aliàs nollet, ſi ſciret. Ex quô intelligitur, quod nulla ignorantia *voluntatem conſequens*, nulla item *vincibilis* actionem ſimpliciter invitam reddat, & ſic neque excuſationem operetur. Dum enim quis ignorare voluit, vel ignorantiam, cum poſſet, animo non expulit, ei ſanè placuit per ignorantiam agere id, quod ſcientia, quam ſibi comparare potuit ſed noluit, vel quâ, ſi eam habebat, non uſus fuit, fieri haud paſſa fuiſſet. Atque hæc ignorantia in omnibus malis reperitur, qui dum vitia ſponte contrahunt, ipſi ſibi cauſa exiſtunt cur virtutis præcepta ignorent. Ac quamvis ita flagitiis immerſi poſtmodum etiam cum volunt, rectum videre amplius nequeant, nec hoc tamen planè involuntarium dici poteſt, quoniam culpa in ipſis reſidet, dum per longam peccandi conſuetudinē ultrò ſibi id malum accerſiverunt. Excipe, ſi ignorantia talis propriè non ſit affectata, ſed forte per negligentiam aut inadvertentiam obrepſerit: licet enim hæc ſimpliciter non excuſet, tamen pœnæ mitigationem tribuit. *Vniverſalium* deindè ignorantiam quod ſpectat, nulla talis invitam facit actionem, nec veniam meretur, quia præcepta illa Juris naturalis adeò ſunt evidentia, ut, niſi naturæ ipſi vim inferre velis, ignorare illa aut ex animo delere nequeas. (e) Licet verò apud gentes quaſdam conceſ-

(c) *Philoſoph. Moral. lib.3 cap.4. n. 14. ſeqq.*

(d) *Inſtit. Ethic. part. 3. ſect. 1. cap. 3. §. 12. ſeqq.*

(e) *Vid. Ariſtot. d. loc. §. 40.*

conceſſa fuerint, quæ apertè cum præceptis illis pugnare videntur, ſicut apud Lacedæmonios furta & adulteria permiſſa legimus (f): propterea tamen excuſari non debent, cùm ignorare non potuerint, fœda illa & turpia eſſe: impoſſibile enim videtur, ut non interdum ratio ſe vindicet, ac talia minimè licere dicat. De communiſſimis autem naturæ præceptis dicta intelligi volumus, ac prout nudè ſine circumſtantiis proponuntur. Sæpè enim docti ê Jure Naturæ concluſiones eruunt, tam longè ab evidentiſſimis illis præceptis abeuntes, ut quis dubitare poſſit, num etiam Juri naturali ſint conſentaneæ. Aliquando etiam præceptis illis tales circumſtantiæ adjectæ ſunt, per quas accidere poteſt, ut quis ea invincibiliter ignoret: quale eſſet, ſi tu quidem ſcires, non occidendum eſſe hominem, ignorares autem, neque ei, qui lethaliter vulneratus eſt, mortem, quam â te petit, approperandam eſſe. De *juris humani* ignorantia notandum eſt, quod, quanquam non eadem quæ præcedentis, hujus eſt ratio, nec illa tamen faciat, ut actio invita ſit aut in foro veniam accipiat. *Leges enim ſacratisſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut univerſi præſcripto earum manifeſtius cognito vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur*: uti clara *Valentiniani & Martiani Impp.* verba ſonant (g). Eſt quidem conceſſum in quibusdam caſibus jus ignorare militibus, fœminis, ruſticis, & illis qui minores xxv ſunt annis; verum hoc certi cujuſdam reſpectus gratia eſt indultum, adeoque ſpeciale nec ad alios extendendum. Non tamen hæc capienda ſunt de lege, quæ vel promulgata nondum eſt, vel in notitiam omnium pervenire nondum potuit, aut communiter ſaltim non eſt recepta: item nec de Jure abſtruſo atque intricato; licet neque hoc caſu excuſetur, qui vel ipſe ſua prudentia eſt inſtructus, vel etiam habuit quem conſuleret: (h) ſicuti de ruſticis

(f) *Dn. Hernei. ibid. n. 17. Videatur tamen acutiſſ. Hobbes cap. 14. art. 9. & 10.*

(g) *l. 9. C. de LL*

(h) *l. 9. §. 3. D. de jur. & fact. ignorant.*

cis ſupra *cauſa 12.* à nobis dictum fuit. Contra ſe res habet in ignorantia *actum voluntatis antecedente*, item in *invincibili*: hæc enim invitam actionem faciunt & excuſare valent; modò hæc poſterior non tantùm in ſe, ſed etiam in cauſa ſua ſit invincibilis. Ex quô facile de ebrio peccante judicium formatur: hujus enim ignorantia quamvis in ſe ſit invincibilis, cùm ſæpe ejusmodi homo madidus planè ſcire nequeat quid faciat; in cauſa tamen ſua eſt vincibilis, ut qui poterat non inebriari. (i) Oportet etiam ut factum pœnitentia ſubſequatur, ſi aliter invitum dici debet. *Nam qui per inſcientiam quippiam egerit, neq; ex ea actione dolore afficiatur, ſponte quidem ille non egit, utpote quod neſciebat: neq; tamen invitus; quippe qui dolore non afficiatur:* ut *Ariſtoteles* ipſe loquitur (k). Ad hanc rationem etiam venia locum habet in ignorantia *particularium* ſeu *ſingularium*, & apud JCtos ignorantiâ *facti* (l). Quæ tamen ita demum cuique non nocet; ſi non ei ſumma negligentia objiciatur. Quid enim ſi omnes in civitate ſciant, quod ille ſolus ignorat? Sanè hoc ad ignorantiam voluntatis actum conſequentem pertinet, cum ſcire debuerit, aut operam dediſſe, ut ſciret. Ideoque *rectè Labeo definit, ſcientiam neq; curioſiſſimi, neq; negligentiſſimi hominis accipiendam: verùm eius, qui eam rem diligenter inquirendo notam habere poſſit.* (m) Tandem etiam de ignorantia *voluntatem concomitante* aliquid dicendum. Hanc ille habuit, qui *Plutarcho* (n) teſte, cum in protervum canem lapidem vibrans, & ab illo aberrans, novercam non deſtinatò percuſſiſſet: ne hôc quidem, inquit, modô male. Hæc vero actionem invitam non facit, quia invitum illud eſt, quod ſi cognoſceremus, averſaremur. Qui autem ex ignorantia concomitante agit, nihil averſaretur; ſed idem facturus eſſet, ſi ſciret. Neque tamen propterea, quod ita fit, ſpontaneum dici poteſt, quoniam in id quod ſponte fit, appetitus noſter fertur, ille autem in ignotum,

qua-

(i) *Durand. 2. ſent. d. 32. art. 4 Hornei. d. loc. n. 19.*

(k) *d. loc. §. 33.*

(l) *Ariſt. ib. §. 41. ſeqq. l. 1. l. 4. l. 8. l. 9. D. de jur. & fact. ignor. l. 45. §. 7. D. de furt.*

(m) *ut verba ſunt. l. 9. §. 2. D. d. tit.*

(n) *libr. de Tranquillit. anim.*

quale hoc eſt, ferri nequit. Reſtat ergo, ut cum Ariſtotele actionem talem non invitam, nec ſpontaneam, ſed non ſpontaneam appellemus. Atque hanc ignorantiam laudatus *Dn. Horneius* (o) excuſare ſtatuit, cum excuſetur omne, quod ſpontè tantum factum non eſt. Undè putat, eum, qui inopinatò occidit hominem, cui aliàs infenſus erat, & quem forte etiam ſi ſciviſſet occidiſſet, excuſari, ſi ignorantiam eam ſufficienter docere poſſit. *Quanquam enim*, dicens, *affectus ejus â peccato immunis nunquam fuit, quamdiu animum occidendi habuit, peccat etiam cum poſt approbat quod ignorant erfecit; actus tamen ille exterior in ſe cōſideratus excuſationem vulgò invenit.* Nos tamen de tali excuſatione hæc accipimus, quæ fiat ex parte, non in totum. Benè enim ejusmodi hominem tum propter malum animum, tum propter magnam negligentiam, tum etiam propter exemplum extraordinaria pœna caſtigari poſſe exiſtimamus. (p). Circa dicta poſtremo loco eſt obſervandum, quod quando quis ſubſtantiam alicujus facti quidem ſcit, circumſtantias autem neſcit, tum eum, ſi in facto illicito verſetur, excuſari non in totum, ſed in tantum, ut Philoſophi loquuntur. Ita *e. gr.* ſi quis occideret Patrem vel fratrem, quem inimicum ſuum eſſe putaret, excuſaretur quidem â parricidio, nullatenus verò ab homicidio. Eodem modo Judam comprimentem nurum ſuam Thamar, ignorantia quidem liberare poteſt ab inceſtu; â fornicatione abſolvere non poteſt. Atque hæc ita ſecundum Principia Philoſophica diſputata ſufficiant. Ubi advertendum, quod hæc eadem non ſaltim cum Jure Romano & Canonico exactè conveniant; ut quæ Jura ſimiliter ob imprudentiam ſeu ignorantiam pœnam tolli vel mitigari jubet: (q) ſed etiam Legi Moſaicæ reſpondeant,

(o) *ibid. n. 20.*

(p) *Vid. tamen ſupra cauſ. 6. requiſit. 5. & Carpzov. q. 146. n. 55.*

(q) *Vid. l. 1. §. 3. D. ad leg Cornel. de ſicar. l. 5. §. alt. l. 11. §. 2. D. de pœn. l. 3. §. 5. l. 9. l. 11. de incend. ruin. naufr. l. ult. de decret. ab ord. fac. l. 108 de R. I. c.* dum *lator. c. dilectus. c. ex literis. cum duobus capp. ſeqq. X. de homicid. c. 2. X. de cognat. ſpiritual. c. 2. X. de ordinat. ab epiſc. c. ſi homicidium. 23. qu. 5. Tiraquell. cauſ. 13. n. 1. ſeqq. Claſen. cauſ. 7. & 8. Cortrei. th. 59.*

dùm & in illis imprudenter factum clementius punitur. Etenim licet, qui hominem ſcienter occiderat, morte multaretur; attamen qui caſu & non ſponte idipſum commiſerat, ei exilium tantum, idque non perpetuum, dictabatur, locusque inſuper conſtitutus erat, qui ipſi ab irruentium impetu præſidium præſtaret. (r) Cæterùm exempla varia remiſſionis, illis, qui ex imprudentia peccarunt, factæ, apud *Tiraquellum* (s) legi poſſunt: ubi etiam diſputat, utrum cùm quis alterum de crimine accuſat, quod ignorantia poteſt excuſari, debeat nominatim exprimere, reum ſcienter id commiſiſſe? & iterum latè ex *Ioanne Crotto*, num ignorantia affectata æquiparetur ſcientiæ? Quæ hic pertractare inſtituti ratio non patitur.

(r) Vid. Exod. 21. v. 13 Nu. 35. v. 22. ſeqq. Deuter. 19. v. 4. ſeqq. Ioſ. 20. v. 3. ſeqq. & meminit D. Ambroſius in c. illa cauſ. 15. qu. 1. (s) *cauſ. 13.*

CAUSA XX eſt

CUlpa ſine dolo. Nam quoniam perfecta delicta dolus conſtituit (a), ideò ſi quis ab hoc ſe purget, licet per latam culpam peccaverit, tamen ab ordinaria, præſertim criminali, pœna immunem eſſe debere, & extraordinariè puniri, communiter docent (b). A dolo autem quævis etiam ruſtica, fatua & injuſta cauſa excuſare putatur (c). Ac licet obiicias: latam culpam æquiparari dolo (d); attamen hoc non procedit in delictis majoribus, ob quæ pœna corporis infligenda venit: ibi enim dolo non æquiparatur (e). Hinc benè

(a) *Excell. Dn. Struvius Syntag. I. C. Exerc. 48. th. 7. & 8.* (b) *per l. 1. §. 3. & l. 7. D. ad leg. Cornel. de ſic. Tiraq. cauſ. 14. n. 1. qui etiam n. 2. & 5. multas obſtantes LL. adducit. Magn. Dn. Hahnius tit. de his qui not. infam. ſub n. 3. Scheidw. ad §. ſuſpectus. 6. n. 2. I. de ſuſpect. tutor. Arnold. Vinnius ad eundem §. 6. I. d. t. Gail. 2. Obſerv 110. n. 2. Claſen cap. 14. cauſ. 4.* (c) *Dn. Cortrei th. 59. & Dn. Claſen. d. loc per l. 12. § 3. D. de liberal. cauſ. & l. 14. C. ad leg. Fab. de Plagiar.* (d) *l. 1. §. 1. ſi menſor falſ. mod. dix. l. 226 de V. S. l. 32 D. depoſit. l. 8. §. 3. in fin. D. de precar. l. 1. §. 5. in fin. de obligat. & act. Vid. Vinn. cit. loc.* (e) *d. l. 7. D. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 23. §. 2. D. de ædilit. edict. Iul. Clar. l. 5 §. fin. qu. 84. n. 1. ſentent. Celſus Bargal. de Dolo l. 5. c. 2. Claſen. d. loc.*

benè. *Delrio* (f): *Æquum eſt, ubi major pœna infligitur, moderatius procedi, & in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo benignitatis temperamento iudicem ſubſequi: ea propter doli ſignificationem in criminali iudicio pœnæ corporalis reſtringimus, in civili & pecuniario ad latam culpam extendimus.* Iſta tamen hanc limitationem habent, ut ſi quis in re per ſe illicita & turpi verſetur, ac per nimiam culpam quid committat, ei pœna corporalis haud remitti debeat: quemadmodum & ſi tale ſubſit negotium, quod ſuâ naturâ diſſolutam negligentiam non admittit. Undè in caſibus quibusdam ob latam culpam ſingulariter fuſtigatio legibus ſtatuitur (g), aliquando etiam pœna capitalis. Nam qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant, hoc eſt, eo animo, ut homo per illud pereat: tamen quia mali exempli res eſt, illis poculis hominem, ſeu vir ſit ſeu fœmina, necari, ideò tales ſummo ſupplicio afficiuntur. (h)

CAUSA XXI. eſt

Diuturnitas temporis. De quâ textus eſt expreſſus in *L. ſi diutino. 25. D. de pœn.* ubi *Modeſtinus* dicit: *Si diutino tēpore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus pœna eius ſublevanda erit: ſic enim conſtitutum eſt, non eo modò puniendos eos qui longo tempore in reatu agunt, quā eos, qui in recenti ſententia excipiunt.* Quanquā verò lex iſta â multis variā expoſitionem accipere ſoleat, dum plurimi illorum vocabulū *Reatus* minus rectè intelligunt: nos tamen cum *Farinacio* (a) putamus, quod reatus ſit ſtatus & conditio, in qua durante accuſatione rei ſunt, donec abſolvantur vel condemnentur: quo tempore quàndo præſertim ſunt præſentes & carcerati, cauſam agunt ſqualore & illuvie confecti, prolixa barba, habitu ſordido & pannoſo, miſericordiæ aucupatore. Atque hoc

(f) ad l. 23. D. de R. I. c. 1. cit. Dn. Claſen. d. cap. 14 cauſ. 4.

(g) l. 9. c. 11. de incendi. ruin. naufrag. l. 3 §. 11. ff. de off. Præfect. vigil. l. 2. in fin. de term. mot.

(h) l. 38. §. 5. D. de pœn.

(a) lib. 1. oper. crim. tit. 1. qu. 10. n. 89. vide tamē Gethofred. ad d. l. 25. D. de pœn. ſub lit. h.

hoc modo non malè quis putaverit, dictæ legis hunc eſſe ſenſum, quod propter diuturnam carceris calamitatem pœna minui debeat (b), de quâ in *cauſa ſeq.* dicemus. Sed & licet reus nec eſſet præſens, nec incarceratus, poſſemus tamen adhuc dicere, vel ideo hoc caſu cum eo mitius eſſe agendum, quoniam qui aliquid admiſit, poſtea tamen diu â delicto ſe abſtinuit, magis videtur peccaviſſe impetu, ignorantia aut infirmitate, quam dolo aut peccandi conſuetudine. Vita enim ſequens benè acta probabiliter oſtendit, quod antea patratum fuit, non profectum eſſe ex inveterata animi malitia. Nam per ſequentia, uti in omnibus rebus, ita cumprimis in illis, quæ ad mores attinent, præcedentia mirum in modum declarantur. (c) Deindè verò, quocunque is animo delictum commiſerit, ſi tamen diu poſtea integram vitam coluit, ſatis eum emendatum, nec animadverſione opus habere putant. (Quod tamen ita eſt accipiendum, niſi alius quidam reſpectus pœnam ab eo ſumi ſuadeat.) Atque in hanc rem eſt textus notabilis in *Nov, 5. c. 2. §. 2. in fin.* quem *Iaſon* (d) *ſolennem, Tiraquellus* (e) verò *penitiſſimis memoriæ præcordiis infigendum* appellat; ubi dicitur: *Nam etſi vitium in priori ab eo forte geſtum eſt vita (humana enim natura quodammodo labitur ad delicta) attamen ſufficit ad mediocrem purgationem peccatorum, & ad virtutis augmentum (Tiraq.* legit *argumentum) triennalis temporis teſtimonium.* Cæterum quando diximus, crimina dudum ante commiſſa levius eſſe punienda, intelligi volumus momentanea, & quæ quis ſemel patravit, ut homicidium & hujusmodi alia. Quod ſi enim ſucceſſiva ſint, quale eſt matrimonium prohibitum, hæreſis & ſimilia, quæ quis dudum exercuit, non ſaltim non levius, ſed eò gravius omnino puniendus eſt, quo diutius in malignitate illa perſtitit. Diuturnitas enim temporis non minuit peccatum, ſed auget, tantoque

(b) *Vid. Carpzov part. 3. qu. 141. n. 81. ubi cum Gothofr. per Reatum intelligit ſtatũ rei: non ſimpliciter poſtulati, ſed etiã condemnati & in vinculis agẽtis: adeoque ad pœnæ mitigationẽ ſolam temporis diuturnitatẽ non ſufficere ſtatuit.*

(c) *l. ſi qui. 34. & ibi Bald. & Ddres. C. ad Leg. Iul. de adulter. Tiraquell. cauſ. 29. n. 4.* (d) *in l. ſi prius quã, col. 14. verſ. tu ergo dic D. de oper. nov. nunc.* (e) *ibid. n. 5.*

que ſunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. (f) Et *quid tam ridiculum eſt*, inquit *Celſus* (g), *quam meliorem furis conditionem eſſe propter continuationem furti exiſtimare?* Quod ſanè ad alia delicta jure etiam extendi debet. *Proſper* tamen *Farinacius* (h) putat, etiam in delictis ſucceſſivis, & quæ quis ſæpè petravit, ob diurnitatem temporis pœnam eſſe mitigandam, ſi diuturnitas illa ab ultimo actu computetur: nec enim eſſe aliam rationem diverſitatis inter delictum momentaneum & ſucceſſivum, niſi quod in momentaneo tempus currat â die commiſſi primum delicti; in ſucceſſivo verò ab ultimâ vice commiſſi criminis. Tandem verò ſubjungit: *Et ita teneas in iudicando & conſulendo, quia iſta eſt pura veritas.* Diuturnitatem verò temporis iſto caſu ſtatuunt eam, quæ eſt decem vel octo annorum. (i)

Videmus hic nonnullos præſcriptionē delicti inter cauſas aggratiandi recenſere: ſedbenè *Dn. Claſenius* (k) obſervavit, male hoc ipſum fieri, quoniam præſcripto delicto, ejusque accuſatione & pœna, reus non ex Gratia liberationem impetrat; ſed ipſo jure tutus eſt. Et id quidem in tantum procedit, ut hoc caſu ne quidem Judex ex officio inquirere poſſit, nedum procedere ad querelam, ſeu partis accuſationem & inſtantiam. Imo quando Judex poſt lapſum requiſiti temporis reum condemnat, non ſolum malè & iniquè agit, ſed etiam decapitari debet, ſi reum ipſe decapitari fecit, atque adeò eadem pœna affici, ad quam reum condemnavit. (l) Præſcribuntur autem Jure Civili omnia delicta, tam publica, quam privata, ſpatio viginti annorum. (m) Quæ

(f) *c. non debet in fin. X. de cōſangui. & affin. vid. etiam c. ult. in pr. X. de conſuetud. c. cum haberet. X. de eo qui dux in matrim. c. non ſatis. in fin. c. cum in Eccleſiæ. in medio X. de Simon. c. ſicut nobis in fin. X. de regul. & tranſeunt. ad relig. c. ſchiſma. in med. 24. qu. 1.* (g) *l. 67. §. 2. D. de furt.* (h) *d. loc. n. 86. quem de pluribus conſule* (i) *Ex Clar. Carrer. Tagei, Gramm. & aliis Proſper Farinac. d. loc. n. 85. & Dn. Carpz. cit. qu. 141. n. 77.* (k) *cap. 13. cauſ. 9.* (l) *Proſp. Farinac. d. qu. 10. n. 2. & 3.*

(m). Quæ præſcriptio etiam valet de Jure Saxonico, quoniam hoc iſto Jure non mutatum legitur, ut adeò in eo determinationi Juris communis ſtandum ſit (n). Excipiuntur tamen injuriæ verbales, quæ annali præſcriptione tolluntur: (o) item delicta ex lege Julia deſcendentia, ut adulterium, ſtuprum, lenocinium &c. quæ præſcriptione quinquennii delentur (p). Atque hoc etiam Jure Saxonico obtinere tradunt (q). Hoc tamen intelligendum ſaltim eſt de actione criminali, non verò de intereſſe partis & actione civili (r). hæc enim, ſi quis eam velit inſtituere, triginta annos, annum & diem durat. (s) Sed pluribus de hoc agere hujus non eſt loci, videat interim qui volet *Proſperum Farinacium d. qu. 10. & Dn. Carpzovium d. qu. 141.* ubi hanc materiam pleniſſimè pertractarunt.

CAUSA XXII. eſt

Diutina in carcere detentio: quæ præcedenti eſt valdè ſimilis, & quam itidem pœnæ mitigationem operari ſtatuunt (a). Nam quod *Honorius & Theodoſius Impp.* de pœna exilii remittenda h. m. ſcribunt: (b) *Sit ſatis immenſorum cruciatuũ ſemel luiſſe ſupplicia, ne hi qui diu privati ſunt auræ communis hauſtu, & lucis aſpectu, non intra breve ſpatium catenarum ponderibus prægravati, etiam exilii pœnam ſuſtinere iterum compellantur:* illud etiam ad alia ſupplicia extendũt & propter eandem rationem in cœteris pœnis locum habere putant (c). *Reſponſum in crimine furti vide Membr. ult. art. 96.* Certe enim miſericordia digni vidẽtur, quibus diutinus carcer domus fuit, tã mala manſio, & pœna moleſtiſſima, ut quæ libertatem nobis aufert rem omnium chariſſimam, pretioſiſſimam

(m) *l. 12. C. ad L. 3. Cornel. de falſ. Tiraqu. cauſ. 23. n. 2. Farinac. ibid. n. 1. Schneid. ad tit. Inſt. de uſucap. in ſpec. §. præſcr: n. 44.* (n) *Pet. Heig part. 1. qu. 16. n. 50. Georg.* Schultz, *Synops. Inſtitut. Imper. tit. de uſucap. circ. fin. Dn. Carpzov. ib. n. 13. ſeqq.* (o) *l. 5. C. de injur.* (p) *l. 11. §. 4. l. 29 §. 6. & 7. D. ad Leg. Jul. de adult.* (q) *Berlich. part. 4. concl. 27. n. 21. Coler. part. 1. deciſ. 176. n. 39. Georg.* Schultz *l. loc. Dn. Claſen. cit. loc. Dn. Carpz. ibid. n. 41. quem vide.* (r) *Modeſt. Piſtor. part. 3. qu. 127. n. 18.* (s) *Vid. Dn. Carpz. d. qu. 141. n. 47.* (a) *Tiraqu. cauſ. 41. n. 1. Claſen. cap. 14. cauſ. 5. Dn. Carpz. part. 3. qu. 149. n. 43.* (b) *l. 23. C. de pœn.* (c) *Tiraqu. d. cauſ. 41. num ult.*

ſiſſimam, atque inæſtimabilem (d), quam que nemo bonus (d) §. *ult* niſi cum anima ſimul amittit, ſi verè C. Manlius apud *l. qui &* *Salluſtium* ſtatuit. Dicitur indè carcer ſepultura viveium, *ex quib.* conſummatio bonorum, conſolatio inimicorum, & expe- *cauſ. ma* rientia amicorum, ſpeciesque torturæ eſt, atque morti *num. non* æquiparatur, ſi perpetuus ſit. (e) Undè *Badlu* (f) putat, non *poſſ.* (e) minus atrocem injuriam facere, qui alterum in diuturnum *Proſp.* carcerem trudit, quam qui illum interimit. Quod tamen *Farinac.* diximus, debere reum ob longam in carcere detentionem *lib. 1. tit.* mitius puniri, intelligendum eſt eo de caſu, quô reus citra *4 qu. 27.* culpam ſuam ex ſola Judicis mora in carcere diu detinetur. *n. 1 & 2.* Nam ſi ſubindè delictum negando ipſe moram traxit, habet (f) *in cap.* quod ſibi imputet, neque tunc ipſa pertinacia ſua ſe pote- *1. §. deni-* rit tueri. (g) *que, in*

CAUSA XXIII. eſt *verbo:*

Pœnitentia delinquentis. Atque hæc quidem pro *parrici-* cauſa mitigandæ ex Gratia pœnæ reputari poteſt; (a) non *dii. Tit:* verò cum quibuſdam exiſtimandum, quaſi, quando poſt *quæ fuit* patratum facinus delinquentem illius pœnitet, ipſeque ad *prim.* bonam frugem redit, planè non debeat puniri (b). Etenim *cauſ. ben.* hoc caſu finis pœnæ ratione illius quidem, qui peccavit, ceſ- *amittēd.* ſat, dum ſpontanea ejus apparet emendatio: at verò repe- *Hippol. de* tendum eſt quod ſupra (c) dictum fuit, pœnæ ſemper lo- *Marſil. in* cum eſſe, quamdiu omnes aut certè principales ejus fines *l. accuſa-* ceſſare non contingit. Quod facilè hic evenire poteſt, quan- *tio. col. 2.* do vel illius qui læſus fuit, vel etiam Reipublicæ intereſt re- *D. de falſ.* um non impunitum dimitti. Unde quidam ita ſentiunt, pœ- (g) *Dn.* nitentiam quidem ante delictum conſummatum operari, *Carpzov.* ut pœnitens non poſſit puniri, verum poſtquam illud con- *d. loc. n.* ſummatum eſt, idem non procedere. Huius exemplum in *48.*

 furto (a) *Tira*

cauſ. 28. n. 4. (b) *Speculatorem in hoc refert & ſequitur Hippolit. de Marſil. apud Tiraquell. d. cauſ. 28. n. 1. quem tamen hic falſitatis arguit & demonſtrat ibid. num. 3.* (c) *membr. 1. art. 24. in fin.*

furto datur. Nam licet fur pœnitentia tangatur, & rem ablatam domino reſtituat; communiter tamen aſſerunt, illum per hoc pœnam furti non evitare. (d) Idque verum eſt de Jure Civili (e): ſecus autem ſe res habet in foro Saxonico & Praxi hodierna totius ferè Germaniæ. Etenim quando fur pœnitentiâ ductus rem furtivam reſtituit, vel illius nomine domino ſatisfacit, non niſi pœna arbitraria, carceris, relegationis vel ad ſummum fuſtigationis punitur. (f). Quæ differentia inter Jus Civile & hodiernam Praxin non mira videbitur illi, qui perpenderit, pœnam furti de Jure Civili non eſſe capitalem, ſed merè civilem, quæ faciliùs imponi poteſt: ac proindè ab hâc ad pœnam hodiernam ultimi ſupplicii argumentatio nulla valet. Ut ut verò hæc omnia ſeſe habeant, certum tamen eſt hodiè, quod, ſi delinquens pœnitentia ductus antequam in carcerem conjiciatur, ſeipſum offerat & crimen confiteatur, â pœna ordinaria liberandus & leniùs puniendus ſit (g). Pœnitentia enim ſubſequens aliquo modo dolum purgat. (h) Atque idipſum in praxi quotidiana obſervari, paſſim apud *Dn. Carpzovium* videre licet, qui etiam *Dnn. Scabinos Lipſienſes* hanc ſententiam ſecutos eſſe, & in caſu pœnitentiæ mulieri incendii reæ pœnam gladii ordinariâ minorem dictaſſe teſtatur h. m. Iſt in Jacob Sommers Stalle zu Nacht ein Feuer aufgangen / und die Gefangene C. S. hat in guten bekandt / daß ſie ſolches Feuer mit gezogenem Schwefel / welchen ſie in Jacob Sommers Rohrdach geſtekket / angezündet / und vorgewandt / daß ſie alſobald die Nachbarn angeſchrieen / ſie ſolten leſchen / denn ſie hette ihrem Vattern das Hauß angeſtekket: Do ſich nun ſolches in erkundigung alſo befunden / und die Gefangene uff ihrem gethanen Bekändtnis vor Gerichte freywillig verharren /

oder

(d) *Proſp. Farinac. qu.31. n. 65.66. & auctor. ibi. alleg*
(e) *per. l. 65. D. de furt.*
(f) *Dn. Carpzov. part. 2. qu. 80. n. 65.*
(g) *Idē part. 1. qu. 37. n. 37. ſeq.*
(h) *Idem qu. 39. n. 4. ſeqq.*

oder des ſonſten wie recht überwieſen würdt / So möchte ſie wegen ſolcher Mißhandlung mit dem Schwerd vom Leben zum Tode geſtrafft werden. V. R. W. *Ad requiſitionem Quaſtoris* in Wendelſtein *M. Novembr. Anno 1585.*

CAUSA XXIV. eſt

PEccatum occultum: quali non minùs aliquid indulgendũ eſſe cenſent.(a) Eſt quidem aliàs certum, quod, quò magis vitiũ aliquod latet, cò ſit deterius; quia nim. minus corrigi poteſt: (b) quoniã iſti tantùm malo remediis occurrere poſſumus, quod adeſſe ſcimus. Vnde cum talia nullius aut difficilis admodum ſint probationis, vix ſanari queunt, & ita Rempublicam occulto quodam ſed gravi morſu indeſinenter petunt. Ex quo non malè quis ſtatuerit, debere talia, ſi quando in lucem prodierint, ſeverioribus pœnis affici. Huic quoque ſententiæ Jus noſtrum Civile adſtipulatur, ut quod longe gravius reputat hominem extingvere veneno, quam occidere gladio (c), quia illud eſt clandeſtinum interficiendi genus, quod difficulter caveri pòteſt. Item plus eſt perſuadere, quàm compellere atque cogere (d): necnon gravius noctu, quàm ſub lucem peccare (e). Et *D. Hieronymus* (f) dicit, quod in comparatione duorum malorum levius ſit apertè peccare, quam ſanctitatem ſimulare. *Plutarchus* etiam refert (g,) Theſpeſium quendam, qui â morte ſurrexerat, aſſeruiſſe, quod apud inferos

(a) *c. nemo. 32. 1. ex tenore. X. de temp. ord. c. un. in fin. de voto. in 6. §. 18. I. de act. Tiraqu. cauſ. 57. n. 1. ſeqq. Farinac. qu. 18. n. 69. ſeqq. Claſen. cap. 14. cauſ. 16.*
(b) *Dn. Ioh. â Felde Element. Iur. part. 2. lib. 1. c. 5. memb. 1. art. 7. n. 11.* (c) *l. 1. C. de malefic. & mathemat.* (d) *l. 1. §. 3. D. de ſerv. corrupt.* (e) *Bald. in l. non minorem. C. de tranſact. vide etiam l. ult. D. de effractor. l. 54. D. de adminiſtr. & peric. tutor. Gloſſ. in l. officiales, verb. clandeſtinus. C. de Epiſcop. & Cleric. c. cum ex iniuncto. X. de hæretic. Tiraquell. d. loc. n. 4. Farinac. ib. n. 67. ſeqq.* (f) *in Eſa. cap. 12.* (g) *libr. de ſera Numin. vindict.*

ſeros illi, qui manifeſtè peccaverant, palamque flagitia perpetrarant, non tàm acerbè cruciati fuerint, quàm qui clam injuſtè vixerant, prætextuque ac opinione virtutis delituerant. At verò abſit ut eodem modo intelligi velimus, quod diximus, peccata occulta debere mitius puniri. Etenim diſtinguendum hic inter maleficia ipſa materialiter conſiderata, & cum certo peccantis animo ſeu propoſito (h) Quod ſi clandeſtino iſto peccandi modo quis utatur ad hoc, ut pravum affectum ſuum eò melius explere, ac ſcelus intentum exercere poſſit, & ut vindex temporalis nihil eorum reſciſcat; jam quia major dolus in ipſo reperitur, palã eſt, tale delictum clandeſtinum graviori adhuc pœna eſſe plectendum, quàm ſi in aperto peccatum fuiſſet. (i) Nobis verò de hoc non eſt ſermo; ſed id tantùm intendimus, poſſe delictum priori modo conſideratum, ac ſine tali animo forte in occulto commiſſum leniori pœna affici. Ratio eſt, quia occultè delinquens non tantum præbet ſcandalum nec æquè contemnit judicialem auctoritatem, quam qui ſub ſole & in oculis hominum ſcelus admiſit. Imo quod clam fit penè non videtur fieri. Vndè cum inſuper publica ejus traductio damnoſa magis, quàm utilis futura eſſet, (k) manet, quod in peccato pauciſſimis cognito leviori aut nulli caſtigationi locus eſſe queat, niſi circumſtantiæ diverſum ſuadeant. Pertinet huc *Ciceronis* (l) de Blandenio Zeuxide: *Adductum in judicium fortaſſe dimitti non oportuerit: conquiri verò & elici blanditiis ad judicium neceſſe non fuit.*

CAUSA XXV. eſt

DElinquentis incertitudo. Nam cùm quis reus habetur non ex evidentibus probationibus, ſed ex vehementibus ſolum præſumtionibus, ut interdum fieri ſolet, levius omnino puniendus eſt. (a) Pro exemplo adducunt ju-

dicium

(h) *Vide Farinac. d. qu. 18. n. 71. ubi paulo aliter diſtinguit, & in fin. d. qu. 18. etiã peccata occulta ordine recenſet.*

(i) *Dn. Claſẽ. d. cauſ. 16.*

(k) *Grot. lib. 2. de I. B. ac P. c. 21. n. 22.*

(l) *ad Q. fr. lib. 1. Ep. 2.*

(a) *Tiraquell. cauſ. 27. n. 1. ſeqq & auct. ibi alleg.*

dicium ſapientiſſimi Regum Salomonis, qui quoniam non (b) *1. Reg. 3. v. 16.* evidenter, ſed ex præſumtione ſolum compertum habuit delictum meretricis, eam ſaltim ad filii reſtitutionem, non etiam ad aliam pœnam graviorem condemnavit. (b) Imò non ex nudis ſaltim præſumtionibus, verùm etiam præſumtionibus & indiciis quantumcunque violentis & urgentibus atque etiam indubitatis non proceditur ad condemnationem pœnæ corporalis (c). Hoc tamen intelligendum eſt de præſumtione hominis, non autem de præſumtione legis: nam ex hac condemnato ordinariam pœnam infligi poſſe ſtatuunt. (d) Quod ſi autem hæc vera ſunt, ſequitur ob famam longe minorem adhuc pœnam, vel rectius nullam dictari debere. Quis enim neſcit, quam ſit

— — *mendoſa vulgata licentia fama?*

quæ ſecundum *D. Hieronymum* (e) multum in utramque partem crebrò mentitur, quia tam de bonis mala, quàm de malis bona falſorum ora concelebrant. Vndè ne quidem ſemiplenam probationem illa in criminalibus facit, quoniam in his probationes debent eſſe luce meridiana clariores: (f): nec item in cauſa civili magna & ardua, quoniam talis cauſa æquiparatur criminali (g).

c. afferte X. de præſumtion. & ibi Dd.

(c) *Tiraquell. ib. num. 2. & auctor. ibi. longo ordine alleg. Farinac. qu. 50. n. 37. Dn. Carpzov. qu. 148. n. 45. ſeqq.*

(d) *Tiraquell. d. cauſ. 27. n. 10. Farinac. qu. 30. n. 17. & auctor. ap. utrumq. alleg.*

CAUSA XXVI. eſt

AMicitia: puta ſi quis amici cauſa commotus aliquid peccaverit: nam talem levius puniendum eſſe nō minus cenſent. (a) Complectimur autem ſub voce Amicitiæ etiam con-

(e) *ad Ruffinum.* (f) *l. ult. C. de probation. c. ſciant cuncti. 2. qu. 8.* (g) *Vide Proſp. Farinac. qu. 47. n. 59. ſeqq. & n. 64. ſeqq.* (a) *Tiraquell. cauſ. 22 n. 1. D. n. Claſen. cap. 14. cauſ. 1. Gail. libr. 2. Obſ. 110. n. 59.*

conjunctionem cōſanguineorum & adfinium, ut qui minimùm non debent minori ſe invicem amore complecti. Cæterùm qui veræ amicitiæ vires aut perſpectas ipſe habet, aut ſaltim mente ſua attentius conſiderat, facilè [illegible]rgitur, aliquid dandum eſſe illi, qui tam gravi adfectu compulſus aliquâ parte culpā contraxit. Nam cùm amicorum dicatur eſſe *μία ψυχὴ, una anima*, amicus verò ipſe vocetur *ἕτερος αὐτὸς, alter ipſe* (b); quotus quiſque eſt, qui ſiniſtris amici rebus planè non commotus inſtar lapidis ſenſu omni carentis jaceat? Pertinet enim huc quod *Ennius* dixit: *Amicus certus in re incerta cernitur*. (c) Vndè magnam aliquando Chilonem Lacedæmonium ægritudo cepit, cum ſuper amici capite cum duobus aliis judicare deberet. Namque Lex ita habebat, ut eum hominem condemnari neceſſe eſſet. Aut igitur amicus capitali ſententia tollendus, aut adhibenda fraus legi erat. Cum verò multa animo ſuo in caſu tàm ancipiti volviſſet, conſultius tandem viſum eſt id, quod etiam eſt ſecutus. Tacitus quippe condemnatoriam ſententiam tulit: his verò qui ſimul judicabant, ut abſolverent, perſuaſit. Sic ipſi & judicis & amici officium in re tanta ſalvum fuit; licet id conſilium in fine vitæ quoque animum ejus nonnihil anxium habuerit. (d) Et ſanè multi Philoſophorum ſatis anquiſitè ſatisque ſollicitè quæſierunt, numquid oporteat contra juſtitiam amico ſubvenire? & quo fine, & in cujusmodi? *Ciceronis* (e) ea de re verba hæc ſunt; *His igitur*, inquit, *finibus utendum arbitror, ut cùm emendati mores amicorum ſint, tum ſit inter eos omnium rerum, conſiliorum, & voluntatum, ſine ulla exceptione communitas: ut etiam ſi qua fortuna acciderit, ut minus juſtè amicorum voluntates adjuvandæ ſint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama; declinandum ſit de via, modò ne ſumma turpitudo ſequatur. Eſt enim quatenus amicitiæ dari venia poſſit.* Paria ſunt quæ *Gellius*

(b) *Ariſt. lib. 9. Nicom. cap. 8. §. 11. & cap. 9. §. 4.* (c) *Cicero de amic. §. 64.*

(d) *Gell. N. A. lib. 1. cap. 3.* (e) *cit. loc. §. 61.*

Gellius (f) ex *Theophraſto* adſert in hunc modum: *Parva & tenuis vel turpitudo, vel infamia ſubeunda eſt, ſi ea re magna utilitas amico quæri poteſt. Rependitur quippe & compenſatur leve damnum delibata honeſtatis majore alia graviore q; in adiuvando amico honeſtate: minimaq; illa labes & quaſi lacuna famæ imminentis partarum amico utilitatum ratione ſolidatur.* E quibus licet cõcludere, quòd ſi amici gratia aliquando modicè peccare liceat, adhuc magis ignoſcendum ſit ei, qui ob cauſam ſui amantiſſimi aliquid deſignavit: præprimis quod conjunctio hæc ad hujuscemodi actus nos quaſi adigens, omnem mali animi ſuſpicionem â nobis removeat, talesque levius errare omnino cenſendum ſit. Spectat hùc quodammodo quod Magiſter ſententiarum *Petrus Lombardus* (g) & Theologi Scholaſtici dicunt, Evam ſimpliciter loquendo plus peccaviſſe in transgreſſione præcepti divini, quam Adamum: idque inter alias ob eandem rationem, quia nempe Adam peccavit victus amicabili quadam in Evam benevolentia, quâ plerumque fit, ut offendatur DEus, ne offendatur amicus. Vnde & *Auguſtinus*: *Noluit contriſtari ſuas delitias, conſenſit in actum prohibitum.* Illis tamen quæ modo ex *Tullio* adduximus, videtur idem alio loco (h) adverſari, quando ſtatuit, nullam eſſe excuſationem peccati, ſi amici cauſa peccaveris, *hancq; primam legem in amicitia ſanciendam, ut neq; rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpem enim excuſationem eſſe & minimè accipiendam, cum in ceteris peccatis, tum ſi quis contra Rempubl. ſe amici cauſa feciſſe fateatur.* Et mox: (i) *Talis*, ait, *improborum conſenſio non modo excuſatione amicitiæ tegenda non eſt, ſed potius omni ſupplicio vindicanda: ut nequis ſibi conceſſum putet, amicum, bellum Patriæ inferentem, ſequi.* Juxta quam ſententiam Pericles ille Athenienſis, cum amicus eum rogaret, ut pro re cauſaque ejus falſum dejeraret, his ad eum verbis uſus eſt: *Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. Oportet me amicis opitulari, ſed uſq; ad Deos.* (k)

(f) *ibid. pag. m. 9*

(g) *lib. 2. d. 22. Tiraquell. ibid. n. 86.*

(h) *Eodem lib. de amicit. §. 40.*

(i) §. 43.

(k) *Plutarch. in Apotph. Græcor. Gellius d. loc.*

Pub-

Publius quoque Rutilius cum amici cujusdam injuſtæ rogationi reſiſteret, atque is per ſummam indignationem dixiſſet: *Quid ergo mihi opus eſt amicitia tua, ſi, quod rogo, non facis?* reſpondit: *Imò quid mihi tua, ſi propter te aliquid inhoneſtè facturus ſum?* (l) Enimverò quod verba illa *Ciceronis* ſpectat, verè mentem noſtram non impugnant, quia de talibus criminibus concepta ſunt, quæ ipſam Reipublicæ everſionem intendunt: nos verò illud ſolùm putamus, debere in delictis levioribus in gratiam amici commiſſis judiciorum ſeveritatem lenitate quadam temperari. Deinde fatemur ipſi, non eſſe peccandum propter amicum: quod ſi tamen quis peccaverit ob id tantum, ut ſaluti alterius conſuleret, non tam ſeverè id peccatum puniendum eſſe cenſemus, quam ſi nulla ejuſmodi cauſa motus idipſum admiſerit. (m)

(l) *Valer. Maxim. lib. 6 cap. 4. hiſt. 4.* (m) *Tiraquell. d. cauſ. 22. n. ult*

CAUSA XXVII. eſt

CONatus: Namque licet de Jure communi conatus proximus delicto æquè puniatur in atrocioribus, ac ſi delictum fuiſſet conſummatum (a): ex generali tamen conſuedutine non tam graviter punitur qui attentavit, quã qui perfecit. (b) Et teſtatur *Baldus* (c), hanc conſuetudinẽ generalem eſſe, & non indigere probatione. *Covarruvius* (d) verò, eam niti æquitate, quæ ubique ſervanda ſit. Quod ipſum etiam Jure Saxonico obtinet, ut quo non affectus & conatus, ſed tantum effectus & eventus delicti puniatur. (e) Eſt alias circa hanc materiam magna Ddrum contrarietas: unde quidam ut ſeſe extricent diſtinguunt inter pos-

(a) *l. 5. & ibi gloſſ. & Dd. C. de Epiſcop. & Cler. l. 7. l. 8. C. ad leg. Cornel. de ſicar. quæ repetuntur cap. 6. & 10. de pœn. diſt. 1. l. 5. pr. C. ad L. Iul. Maieſt. Gail. de pace publ. cap. 14. n. 4. ſeq. Tiraqu. cauſ. 37. n. 1* (b) *Tiraqu. cauſ. 38. n. 1. cum auctor. ibi longa ſerie civitatis. Dn. Claſen. d. cap. 14. cauſ. 2. Dn. Carpz. part. 1. qu. 17. n. 6. & 14.* (c) *in. l. ſi fugitivi. n 3. in fin. C. de ſerv. fugitiv.* (d) *in clem. ſi farioſus. part. 2. § initium. n. 6. verſ. tertio eſt omnino conſiderandum. de homicid.* (e) *Reinh. König. part. 5. diff. 6. Iur. Civ. & Saxonic. VVeſenb. in π. D. ad L. Iul. de adult. n. 5. Carpz. d. qu. 17. n. 15.*

pœnam ordinariam & extraordinariam; alii inter pœnam ſpiritualem ſ. eccleſiaſticam & temporalem: nonnulli jubent attendere, an deventum fuerit ad actum proximum vel remotum; quidam rurſus atrocia, atrociora & atrociſſima delicta à levibus diſtinguunt: alii ponderandum dicunt, an civiliter, an vero criminaliter agatur; & tandem alii, an pœna ipſo jure an facto â lege vel ſtatuto infligatur. Quarum tamen diſtinctionum neutra ad dubium omne tollendum ferè ſufficit. Ideoque nos ſecuti in hoc *Dn. Carpzovium* (f) loco Regulæ ponimus, debere Conatum in quibusvis delictis, licet is ad actum proximum pervenerit, ordinaria cujusvis delicti pœna non puniri. Quæ tamen aſſertio *duplicem exceptionem* habet. *Una* eſt, quando lex vel ſtatutum conatum ipſum diſertè & manifeſtè pœna ordinaria punit. Eo enim caſu pœna conſtituta attentanti eſt dictanda, licet tum demum, quando ad actum proximum & immediatum ipſi maleficio deventum fuit. *Altera* deinde exceptio eſt, ſc. poſſe Judicem aliquando in atrociſſimis delictis inſpectâ facti & perſonarum qualitate conatum pœna ordinaria, quandoque extraordinaria & pro arbitrio punire (g). Nam pone operationem jam eſſe ad finem perductam, & delinquentem quantum in ſe fuit præſtitiſſe, adeò ut effectus neceſſariò ſecutus fuiſſet, niſi impedimentum externum interveniſſet, e. gr. ſi incendiarius domum accenderit, ignem verò pluvia vel ſuperveniens familia exſtinxerit; vel ſi quis alteri venenum obtulerit, quod ille non hauſerit: hoc certè caſu, puta quo ratione delinquentis delictum pro conſummato merito habetur, Judex non peccaverit, ſi ejusmodi nebuloni pœnam ordinariam dictaverit; maximè, ſi nimium multis graſſantibus opus ſit exemplo (h) licet quoad conſcientiam tutiùs faciat Judex, ſi

(f) *d. qu. 17. n. 13.*

(g) *Jul. Clar. in Pract. §. fin. quæſt. 92. n. 2; cui⁹ verba adducit & cõmendat Dn. Carpzovius d. loc. n. 11.*

X ſem-

(h) *l. 16. §. ult. D. de pœn. Johan Ludolf. diſſert. inaugur. de pœn. delictor. th. 55.*

ſemper ad mitiorem partem inclinet: quoniam etſi erran-
m is modicam pœnam imponentes; melius tamen eſt pro-
(i) *c. allis* pter miſericordiam rationem reddere, quam propter cru-
gant. 26. delitatem (i) Cæterum cum illis quæ diximus benè con-
qu. 7. (k) ſpirant verba *Caroli V. Imp. in Conſtitut. Crimin.* (k), ubi ita
art. 178. loquitur: So iemand einer Miſſethat mit ehrlichen ſcheinli-
chē Werken/ die zu vollbringung derſelben Miſſethat dienſtlich
ſeyn mögē/ ſich unterſtehet/ und doch an vollbringung derſelben
Miſſethat durch andere Mittel/ wieder ſeinen Willen verhin-
dert wird/ ſolcher böſer Wille/ darauß etliche Werke/ alß ob-
ſtehet/ folgen/ iſt peinlich zu ſtraffen/ aber in einem Fall härter
denn in dem andern/ angeſehen gelegenheit und geſtalt der Sa-
chen/ darumb ſollen ſolcher Straff halber die Urtheiler/ wie
hernach ſtehet/ Raths pflegen/ wie die am Leib oder Leben zu
thun gebühret. Quà verò ratione Conatus in quolibet deli-
cto ſit puniendus, vide apud *laudatiſſ. Dr. Carpzovium in Practica Criminali,* ubi hæc omnia latè & exactè more ſuo
perſequitur: nobis interea fontem, undè aqua ſit haurien-
da, hic indicaſſe ſufficiat.

CAUSA XXIIX. eſt

MAndatum ſuperioris, puta Principis, domini, pa-
rentis, Magiſtratus, vel alterius, quam timere ſolemus.
(a) *l. ſer-* Hoc enim quoque efficere poſſe ſtatuunt, ut pœnæ ordina-
vor. 8. riæ rigor temperetur. (a) Reluctantur quidem huic aſſer-
pr. & ibi tioni non pauci, dicentes non eſſe obediendum ſuperiori
Bald. & præcipienti quod eſt contra jus & honeſtatem (b), ac proin-
Salyc. C. de mandatum tale non excuſare (c); quoniam turpis vel in-
ad L. Iul. juſte

de vi publ. l. 17 §. 7. D. de iniur. l. 2. C. de ſepulch. violat. l. 23. pr. D. de aqua & aquæ pluv. l. 167. §. 1. de R. I. c. de rebus. 12. qu. 2. c. quodquis. de regul. iur. in 6 Tiraq. cauſ. 34. n. 3. Dn. Claſen. cap. 13. cauſ. 6. Ioh. VVilhel. Ebner in diſſert. de offic. Iudic. in pœn. remitt. vel mitig. poſit. 57. (b) *Vide Tiraquell. d. cauſ. 34. n. 1. & 2. ubi multa iura in hoc allegat.* (c) *Bart. in l. non ſolum. § ſi mandato. D. de injur. Tiber. Decian. in tract. crim. lib. 9. cap. 37 n. 1.*

juſtæ rei mandatum non eſt obligatorium; adeo ut ne juramento quidem confirmetur: (d) ſicque concludunt, mandatarium æquè ac mandantem pœnâ ordinaria eſſe plectendum (e). Verum nos quidem ipſis largimur, non debere mandatarium, in criminibus præſertim atrocioribus, â pœna omni liberari: putamus nihilominus, poſſe non injuſtè hoc caſu cum eo mitius procedi. Pone enim tibi aliquid faciendum injungi â Majeſtate Principali, aliove qui magna auctoritate & poteſtate pollet: talibus certè obſequium denegare in difficilimis meritò habendum eſt. Deindè etiam accidere poteſt, ut quis ſimplici ſit animo, neque diſcernere queat, num in quibuſdam ſuperiori non parere liceat. Multi namque propter jus ſubjectionis putant, obligatos ſe eſſe ad parendum dominis in omnibus; imo credunt, nihil ſibi ab his imperari, niſi quod licitè agi poſſit juſtumque ſit: (f) Tandem quoque accidere poteſt, ut quis mandatum tale aliâ evitare via nequeat, fortè quia ſuperior mortem minitatur, nî imperata faciat. Sanè ejusmodi metu neceſſitateque compulſum, ſi injuſtâ domini iuſſa exſecutus ſit, mitius puniendum eſſe optima ſuadet ratio. Etenim cum â morte, tanquam ſummo naturæ malo, quisque neceſſitate quadam naturali abhorreat, eamque effugere ſummoperè ſtudeat, aliter quoque facere non poſſe intelligitur (g). Imò ipſe *Dn. Carpzovius* (h), diverſam aliàs fovens ſententiam, ſubinde fatetur, mandatarium minus delinquere, quàm mandantem: illum enim ſolum in ſe & *e. gr.* interfectum, hunc verò inſuper in mandatarium peccare, puta quem corrumpit, ut inimicum occidat. At vero ratio recta dictat, eum qui plus peccavit debere etiam plus puniri. Quod ſi ergo mandanti pœna ordinaria cujuſque delicti imponenda venit, ut plerique ſtatuunt, ſequitur quod mitior quædam man-

(d) *l. 6. §. 3. l. 12. §. 11. l. 22. §. 6. D. mandati. l. 26. D. de verb. oblig. §. 7. Inſt. de mandat. c. non eſt obligatorium, de reg. iur. in 6to. Jul. Clar. in pract. §. fin. qu. 89. n. 1.* (e) *Dn. Carpz. part. 1. qu. 4. n. 5. 6. & ſeqq. qu. 37. n. 47. & qu 38. n. 53.* (f) *Dn. Claſen. d. loc*

X 2 da

(g) *Illuſtr. Hobbes in Epiſt. dedic. Element. Philoſoph. de Cive ad Comit. Devoniæ: & cap. 2. art. 18. Ebnerus cit. loc.* (h) *d. part. 1. qu. 4. n. 12. qu. 38. n. 54. & qu 50. n. 35.*

datario debeat infligi. Idem etiam *Dn. Carpzovius* expreſſè dicit (i), pœnam ordinariam parricidii remitti poſſe in caſu, quo quis perſuaſione aut juſſu patris ſive matris parricidium commiſit: exiſtimatque, ſi filia ex perſuaſione matris infantē occiderit, pœnam ordinariam ipſi poſſe condonari, ſubſtituta pœna gladii. Unde in tali caſu ad hanc quoque rationem pronunciarunt *Dnn. Scabini Lipſienſes ad conſultationem Quæſtoris Plavienſis M. Martio Anno. 1588.* Cum enim M.D. juſſu matris ſuæ infantem occidiſſet, adjudicata ipſi fuit pœna ordinaria culei, cum appendice: Man wolte ihr dann in anſehung/ das es ſie ihre Mutter geheiſſen/ Gnade erzeigen / uff den Fall möchte ſie mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode geſtrafft und hingerichtet werden. V. R W. Manet igitur firma aſſertio noſtra, ſcil. poſſe illi, qui juſſu ſuperioris crimen aliquod commiſit, pœnam ordinariam remitti: cum additis tamen reſtrictionibus, ſc. ſi mandans ille alicuius ſit auctoritatis, ſi delinquens homo ſimplex, ſi mandato minæ aliive terrores ſint additi. Quando enim qui delictum jubet, eſt inferior, ac talis, cuius imperium impune quis detrectare poteſt, tunc is qui mandatum crimen perpetrat, ſuopte magis propoſito ac voluntate, quam ad alterius juſſum videtur delinquere, atque ideo ab ordinario ſupplicio vix liber erit. Ad eandem rationem quoque dicunt clementius eſſe puniendum, qui precibus & blanditiis Principis aut alius quem veneramur, permotus delictum aliquod commiſit (k). Parum enim vel nihil inter tales preces juſſumque intereſt. Unde *Plato*: (l) αἱ τῶν τυράννων δεήσεις ἐστὶ ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. *Tyrannorum enim preces noſti, quam permiſtæ neceſſitatibus ſint.* Cui conſonat tritus verſiculus:

Eſt rogare Ducum, ſpecies violenta jubendi.

Et alius: *Rogando cogit, qui rogat potentior.*

Qui plura hâc de videre volet, legat *Tiraquell. d. cauſ. 37.*

(i) *qu. 18. n. 45. ſeqq.*

(k) *gloſſ. in l. unic. in verb. pignor. C. ſi rector prov. vel ad rem pert. Tiraquell. cauſ. 35. n. 1. ſeqq.* (l) *apud Cicer. lib. 9. ad Attic. Ep. 15.*

CAUSA

MEtus: (a) qui dicitur affectus cum moleſtia conjunctus, natus ex phantaſia repræſentante malum futurum & jam imminens, habens vim ad interimendum vel ad moleſtiam aliquam gignendam. (b) Hunc Ddres quintuplicem faciunt (c): 1, eſt *metus facti*, quando imminet periculum ſalutis, mortis, vel cruciatus corporis. 2. *metus minarum*, qui quidem non eſt æqualis priori, multum tamen poteſt, ſi qui minatur minas poſſit in effectum deducere, & hoc facere conſueverit, item ſi minæ ſint atrociores. 3. *metus potentiæ*, qualis incutitur ſubditis à domino vel ſuperiori. 4. *metus reverentiæ*, quo ducitur filius erga patrem, uxor erga maritum, libertus erga patronum, diſcipulus erga præceptorem, & Clericus erga ſuum Epiſcopum. (d) 5. *metus perfidiæ*, ut cum quis movetur ad aliquid, quia timet alterius perfidiam. Porro diſtinguitur metus in *levem*, & *probabilem* ſeu *talem, qui in conſtantem virum cadit*. (e) In quæſtione ergo, qualis metus actionem venia dignam reddat, communiter tam à JCtis quam Moralis Philoſophiæ Doctoribus ſtatuitur, hoc tantum præſtare metum, qui in conſtantem hominem cadere poteſt. Quis verò & qualis ille metus ſit, id non æque conſtat, neque omnium in hoc eadem eſt ſententia. *Magnificus Dn. D. Hahnius* (f) exiſtimat, ſuperiores quinque ſpecies omnes pro tali metu eſſe reputandas, qui in conſtantem hominem cadere poſſit. Ex quo ſequeretur, debere etiam delinquentem ex tali metu abſolvi. Alii (g) verò dicunt, hic habendam eſſe rationem

(a) *c. ſacri. X. de his, quæ vi metuve cauſa fiunt. c. presbyteros. diſtinct. 50. c. in primi. verſ. Si autē Epiſcopi. 2. qu. 1. c. ult. 11. q. 3. c. eos. de conſecr. diſt. 4. Tiraq. cauſ. 36. n. 1. ſeqq. Dn. Carpzov. part. 1. qu. 18. n. 40. ſeqq.*

(b) *Dn. Felde d. loc. part. 2. lib. 1. c. 3. membr. 4. Art. 3. n. 1.* (c) *Magnif. Dn. Hahnius in Obſerv. tit. quod metus cauſ. geſt. ſub n. 3. Schneidevv. ad §. quadrupli. 25. I. de action. num. 59. ſeqq.* (d) *Gothofred. in not. ad Schneidevv. d. loc. ſub lit. d.* (e) *l. 5. l. 6. D. quod met. cauſ. geſt. erit. l. 9. C. eod. l. 3. D. ex quib. cauſ. maior. l. 13. C. de tranſact.* (f) *cit. loc.* (g) *Excell. Dn. D. Meier. in prælect. privat. ſuper Ariſt. lib. 3. Nicom. cap. 1.*

nem ætatis, ſexûs, & ſtatûs ſive conditionis hominum. Variare enim metum prout iſthæc genera variant, & in uno majorem multò requiri, quàm in altero. Ita *e. gr.* quando puer ob metum id agit, quod omnis pueri ob talem metum agerent, ille metus putatur eſſe, qui in conſtantem puerum cadere poteſt, ac proindè excuſat: eodem modo quando fœmina, ruſticus, civis, nobilis &c. metu aliquo perculſi agunt, quod ejuſdem conditionis omnes ob talem metum agerent, tum itidem illum metum à pœna liberare putant. Quodſi verò ejus generis non omnes ob ejuſmodi metum tale quicquam perpetrarent, tum eundem haud excuſare. Sed hoc verum eſt de excuſatione totali; nam certè mitius eum puniri convenit, cùm etiam aliquid ſit dandum alicujus timiditati, quam naturâ habet. Eſt enim in pleriſque mortalium gradus quidam timiditatis ſummus, per quem mala quæ inferuntur ut maxima apprehendunt, atque adeò ob neceſſitatem naturalem aliter facere non poſſe intelliguntur (h). Idque cumprimis procedit in privato, cui hâc parte facilius indulgetur quàm perſonæ publicæ, uti etiam fœminæ quàm viro: nam in his poſterioribus major metus ob decentem eos majorem conſtantiam requiritur. Propterea quidam hanc rem omnem ad Judicis arbitrium referunt, qui perſonarum qualitates aliasq; circumſtantias expendere, adeoque æſtimare debet, num metus, ob quem crimen perpetratum eſt, talis fuerit, qui in conſtantem hominem cadere, ac proindè delictum excuſare valeat, (i) & hos tutiſſimè nunc ſequimur.

CAUSA XXX. eſt

PRomiſſio mitigandæ pœnæ. Circa quam duæ ſe quæſtiones offerunt, quarum prima eſt: An Judici liceat confeſſionem ſub promiſſione veniæ à reo extorquere?

(h) *Laudat. Hob bes d. cap. 2. art. 18.*

(i) *l. 3. D. ex quib. cauſ mai. Schnei. d. vvin. cit. loc. n. 38. & n. 48. in fin. Gail. 2. Obſ. 93. n. 7. 8 & 9. vid. etiam Dn. Carpzov. qu. 18. n. 49. ſeqq.*

re ? altera: An ejuſmodi promiſſione factâ reus ad ordinariam pœnam condemnari debeat? *Priorem* quod attinet, ſanè ſi de Principe aut alio Majeſtatem habente ſermo nobis eſſet, concedendum foret, hunc non ſaltim per promiſſionem impunitatis poſſe à reo confeſſionem elicere, verùm eandem quoque poſtmodum præſtare: (a) nunc verò cùm de Judice nobis ſermo ſit, nullo modo poſſumus concedere, ut is ſibi tantum poteſtatis circa pœnarum irrogationem attribuat. Præterquam enim, quod promiſſio talis ſine cauſa ſufficiente facta Gratiam ſapiat, quam tamen Judicibus non competere ſupra *membr.* 2. *art.* 48. & ſeqq. ſatis, nî fallor, oſtenſum dedimus: major etiam ſceleribus feneſtra aperiretur, dùm per tales promiſſiones rei pœnas effugiendi occaſionem nanciſcerentur, quas tamen ob maleficia ſolvi magna ratio ſuadet. (b) *Alteram* quæſtionem, num ſcil. Judex poſt elicitam confeſſionem debeat promiſſam mitigationem præſtare? affirmativè nos decidimus. *Primò* enim turpe eſt Judici fidem fallere aut mentiri (c): ſed apertè ac doloſè mentiretur, ſi reo poſtmodum promiſſis ſtare nollet. Ideò ſatius eſt Judicem eo caſu pœnam ordinariam remittere, quàm hanc ſibi tam grandem maculam inurere. *Deindè* conſtat, quod reus ad ſupplicium mortis condemnari haud debeat, niſi confeſſio ſit veroſimilis ac ſpontanea (d). Undè etiam confeſſioni per tormenta extortæ non prius fides haberi ſolet, quàm ſi poſt intervallum cruciatuque ceſſante reus propria ſponte in eâdem permaneat. (e) Aſt quando Judex per promiſſam impunitatem reum ad confeſſionem commovet, illa confeſſio ſpontanea dici nequit; ſed eſt non-ſpontanea, quandoquidem promiſſio ei cauſam dat, quâ ſine ſi eſſet, reus crimen

nun-

(a) *Dn. Carpz. part. 3. qu. 149. n. 6. Bodin. de Republ. lib. 1. cap. 10.*

(b) *l. 70. § ult. D. de fidejuſſorib. Vid. Priſp. Farinac. part. 3. oper. crim. qu. 81. n. 277. Dn. Carpz. qu. 113. n. 50 & 51. & qu. 149. n. 6. ſeqq.*

(c) *Decius in l. ea eſt natura. 65. n. 7. & ſeqq. de R. I.* (d) *Ord. Crim. art. 60. ubi Matth. Stephan.* (e) *Ord. Crim. art. 56.* § Der Geſangene.

nunquam confiteretur. Ideoque cùm talis confeſſio ad condemnandum non ſufficiat, (f) ſequitur eo pœnam ordinariam omninò debere remitti. Licet verò dicas, ad promiſſionem talem Judicem non teneri, quia ab initio prohibita erat: quod verò jure prohibitum eſt, obligatorium eſſe nequeat (g): falſum tamen hoc eſt, quoniam multa in jure noſtro facta tenent, quæ ab initio non valebant. (h) Et benè *Dn. Carpzovius* (i): *Sera nimis eſt quæſtio, utrum ſervare fidem neceſſe ſit, ubi dare eam nemo dubitavit.* Atq; juxta hanc ſententiam reſponderunt *Dnn. Scabini Lipſienſes ad requiſitionem Senatus Ienenſis M. April. A. 1551.* Die weil euer Richter geſtanden / daß er dem Gefangenen mit Handgebender Treu zugeſaget / auch folgends in beyſein der Schöppen ſolche Zuſage verneuert / wenn er in guten und ohne Peinigung die That bekennen würde / daß ihme das Leben gefriſtet werden ſolle; So wird auch dem Gefangenen ſolche Zuſage billich gehalten. V. R. W.

CAUSA XXXI. eſt

SPontanea Confeſſio: quam pœnæ mitigationem mereri, & textt. Juris eſt conveniens, & Ddrum auctoritatibus ſatis firmatum (a). Idem etiam *in Iure Saxonico* diſponitur, quando expreſsè dicitur (b): Kommet er denn ohne

(f) *AEgid. Boſſ. ad tit. de confeſſ. per tortur. n. 16. & tit. de exam. reor. n. 17. & 18. Iul. Clar. d. §. ult. qu. 55. verſ. circa ſecundum &c.*

(g) *c. non eſt obligatoriũ. & c. in malis promiſſis. de regul. Iur. in 6to.*

(h) *l. 8. D. de his qui ſunt ſui vel alien. iur. l. 1. §. 5. D. quando appelland. c. quemadmodum. 25. X. de iureiur. Decius in l. ambiguis. § non eſt novũ. D. de R. I. n. 4. & ſeqq. Schneidevv. ad tit. I. de Nupt. part. 2. n. 35. Gothofr. ad illum loc. ſub lit. C. Petrus Heig. part. 2. qu. 32. n. 88.*

(i) *d. qu. 14?. n. 15.*

(a) *l. 5. §. 7. C. ad L. Iul. Maieſt. l. unic. C. ne tut. vel curat. vect. conduc. Authent. Novo iure. C. de pœn. iudic qui malè iudic. c. non dicitis. 12. qu. 1. c. qui admiſit. 15. qu. 8. c. imprimis verſ. ſi autem Epiſcopi. & verſ. Epiſcopi vero. 2. qu. 1. c. innotuit. X. de elect. c. ult. X. de furt. c. inter corporalia. verſ. ſanè quoniam. X. de translat. Epiſcop. Tiraquell. cauſ. 30. n. 1. ſeqq. Proſp. Farin. part. 3. qu. 81. n. 172. Dn. Carpz. d. qu. 149. n. 23. & auctor. ibi allegat. Dn. Claſen. cap. 14. cauſ. 3.*

(b) *lib. 2* Landrecht. *art. 14.*

ohne den Todten vor Gerichte / und bekennet er es / ehe man über ihn klaget / und beut ſich darumb zu Recht / man ſol ihm ſein Halß nicht vertheilen. Et paulò poſt: Umb den todten Mann aber mag ihn niemand an den Halß ſprechen / alldieweil er ſich zu Recht darumb bott / ehe man auff ihn klagete ꝛc. *Arrianus* quoque hiſtoricus (c) de illo Orbis domitore Alexandro teſtatur, quod erroris confeſſio apud ipſum pluri-mum valuerit, nec quicquam ad impetrandam veniam hoc uno apud eum fuerit efficacius. Idem auctor alio loco præclarè etiam hâc de re diſſerit: (d) *Plerique, ait, quamvis ſe deliquiſſe ſciant, id tamen tanquam rectè factum pertinaciter defendunt, culpam ſuam per hunc modum celatam iri exiſtimantes, qui mihi quidem magno errore teneri videntur, Summa enim medicina peccati eſt, quantum ego exiſtimo, & peccatum confiteri ſuum, & eiuſdem pœnitentiam præ ſe ferre, nam qui iniuriam accipit, illam haud dubie aliquanto levius perfert, ſi eum, qui intulit, & fateri ſe deliquiſſe, & iniuriæ pœnitere animadvertat. Adhæc qui violat alterum, ſi dolere ſe facto doceat, bonam ſpem cæteris præſtat, ſe poſthac nihil admiſſurum tale.* Cæterùm nihil refert, an quis metu probationum, an verò ſua ſponte delictum confiteatur, quia utroque caſu pœna conſueta ipſi eſt remittenda; licet hoc poſteriori adhùc mitius in eum animadverti debeat: quæ res omnis arbitrio Judicis relinquitur, qui æſtimare poteſt, quantum de pœna remittendum ſit (e). Quis autem dicatur metu probationum, & quis ſponte confiteri, vide quæſis apud *Dn. Carpzovium cit. loc. n. 29.* Quamvis *Farinacius* (f) id paulò aliter explicet, dicens quod confeſſio ea ſponte facta ſit, quæ emanavit ante inchoatam accuſationem vel inquiſitionem; poſt eam vero metu probationum factam dici. Utut hæc ſint, certum eſt quod confeſſio utraque mitigationem operetur, quoniam utraque fidem facit, micam

(c) *de reb. geſtis Alexandri M. libr. 6*

(d) *ibid. libr. 7. cit. tante Tiraquell. d. cauſ. 30. n. 8.*

(e) *Tiraquell. ib. n. 13. Dn. Carpz. ib. n. 28.*

(f) *d. qu. 81. n. 176*

bonitatis in reo adhuc reſidere: ſponte tamen factæ aliquid amplius, uti dictum, merito indulgetur. Illuſtrantur hæc *dd. Dnn. Scabinorum Reſponſo dato Senatui Chemnicenſi M. Jul. A. 1630.* So werden beyde Inquiſitin D. K. und T. D ſolches begangenen und bekandten Straſſenraubes halber/ nach Gelegenheit dieſes Falls/ weil ſie uff erfodern alſobald erſchienen/ſich zur That gutwillig bekandt/und das Pferd wieder von ſich gegeben/mit Staupenſchlägen des Landes ewig billich verwieſen/ V. R. W. Omnia autem quæ hic tradita ſunt procedunt in eo, qui antequam in carcerem detruderetur, crimen confeſſus eſt. Quod ſi enim incarcerato confitenti pœna ordinaria remittenda foret, in nulla forſan delicta debitè animadverteretur. Imo blandirentur ſibi in vincula conjecti, quod per confeſſionem pro arbitrio leniorem ſibi Judicem efficere poſſent. Itaque hoc modo confitentes nulla Gratia digni ſunt. Sed & licet crimen reus fateatur, antequam cuſtodiæ mancipetur, in judicantis tamen adhuc poteſtate eſt, an pœnam ordinariam ei remittere vel irrogare velit. Etenim ſi is criminis atrocitatem omnem pœnæ mitigationem impedire animadvertat, quin tunc ordinariam criminoſo decernere poſſit, nemini dubium eſſe debet. (g)

(g) *Dn. Carpz. ibid. n. 36 & 37. Vide plura apud Tiraquellum cit. loc.*

CAUSA XXXII. eſt

TRanſactio ſuper delicto. Ubi *primò* obſervandum eſt, quod ad hoc ut pœna remittatur vel temperetur, non ſufficiat tranſegiſſe ſolùm cum parte læsâ, aut illius conſanguineis; ſed requiratur inſuper, ut tranſactio inita ſit cum Fiſco ſeu Magiſtratu, quæ vulgo dici ſolet Compoſitio, per quam abſolutus nedum ab alio accuſatore, ſed nec ab ipſo Judice, inquirente ob publicam utilitatem, amplius moleſtari poteſt. (a) Aliàs enim ſi cum ſola parte tranſactum fuerit, certum eſt, quod ob id Judici nihil

(a) *Proſper Farinac. lib. 1. tit. 1. qu. 4. n. 36.*

nihil præjudicetur, & poſſit reum condemnare perindè acſi nulla remiſſio vel tranſactio ſecuta eſſet (b). Etenim ex omni delicto dupliciter agi poteſt, ad pœnam ſcil. applicandam parti, & ad publicam vindictam (c): licet ergo pars poſſit in ſui præjudicium injuriam remittere (d); id tamen non poterit in præjudicium Reipublicæ (e): ut patet ex *Reſponſo dd. Dnn. Scabinorum ad VVenceslaum* Kilbingen *à* Geuſing *in Vnterſchlema dato M. Mart. A. 1631.* Ob er ſich nun wohl mit dem Beſchädigten vertragen / und demſelben zu Abtrag 22 Thaler entrichtet/etc. So mag doch ſolche Vergleichung und Tranſaction euch / alß den Gerichtsherren/ zu Nachtheil nicht gereichen / ſondern ihr ſeydt derſelben ungeachtet / ihn hierüber umb 2 Neue Schokk in Straffe zunehmen wohl befugt/ V. R. W. Ratio iſtorum dependet â principio illo, quod ſupra *membr. 1. art. 23* â nobis traditum eſt: ſcil. pœnæ ſemper locum eſſe, quamdiu omnes ejus fines aut certè principales non ceſſant. Jam vero cùm cujuslibet pœnæ finis in triplici ſit differentia, alius ratione peccantis, alius ratione læſi, & alius ratione Reipublicæ; apparet multum adhùc intereſſe poſſe Reipublicæ, pœnam â facinoroſo ſumi, licet ille parte offenſæ ſatisfecerit. Pœnarum namque fructus omnium maximus ad exemplum pertinet. (f) Adhæc nuſpiam in jure diſpoſitum reperitur, reũ cum parte tranſigentem poenam Iudicis effugere: erubeſcimus autem ſine lege loqui, neque citra juris auctoritatem temerè quicquam aſſeverare debemus. (g) Deindè *ſecundò* notandum, quod ad poenæ mitigationem non cum quolibet inferiore Iudice tranſigere ſufficiat ſuper delicto; ſed id fieri debeat cum ipſa Majeſtate, aut Magiſtratu alio ſuperiori Regalia habente, cuique jus Gratiam concedendi

(b) *ut tradunt omnes Ddres, quos longo ordine refert & ſequitur idem Farinac. cit. loc. n. 32. & Dn Carpz. part. 3. qu. 148. n. 6.* (c) *l. ult. D. de priv. delict. l. 25. D. ad L. Corn. de falſis.* (d) *l. penult. C. de pact.* (e) *gloſſ. Angel. & Bart. in l. 2. D. ad SC. Syllan. & in l. 1. §. 2. D. de iniur.* (f) *Bodin. 7. de Republ. cap. 4.* (g) *l. 19. C. de collation. l. 5. C. de repud. c. is qui in Eccleſia, 18. de ſent. excomm. in 6to.*

(h) *Dn.* competit. (h) Ad hoc tantum enim poteſtas Judicis inferi-
Carpz. d. oris ſe non extendit; quoniam, ut verè *Papinianus* (i) di-
loc. n. 22. xit, *facti quidem quæſtio in arbitrio eſt judicantis; pœnæ ve-*
(i) *l. 1. §.* *rò perſecutio non eius voluntati mandatur, ſed legis* (aut Prin-
4. D. ad cipis) *auctoritati reſervatur.* Confer ſupra *membr. 3. art.*
SC. Tur- *48. & ſeqq.* Imò quamvis hujuſmodi Judex tale quicquam
pill. l. 15. audeat, & cum reo tranſigat; attamen quin, non obſtante
pr. D. ad hac tranſactione, ſuperior Magiſtratus reum ordinaria pœ-
municip. na plectere poſſit, ambigendum non eſt. *Tertiò* denique
quod diximus, poſſe Magiſtratum, non obſtante tranſactio-
ne cum parte inita, ex officio procedere reumque conde-
mnare, illud hanc limitationem habet, ut tunc condemna-
tio non debeat fieri in pœnam ſanguinis, ſed forte multam
(k) *Dn.* pecuniariam aut caſtigationem corporalem. (k) Quod ta-
Carpz. men iterum cum *Farinacio* (l) reſtringimus ad delicta non
cit. loc. adeò atrocia ſed leviora, quale eſt crimen injuriarum, adul-
n. 23. (l) terii, furti & ſimilia. Etenim in ſceleribus maximis forſan
d. qu. 4. iniquum foret pœnam mortis remittere propter pacem &
n. 34. remiſſionem à parte acceptam, cùm ejuſmodi delicta nec a-
verſ. E- pud Deum, nec apud homines excuſationem ullam habe-
go verò re videantur. *Virgilius* quidem *Pingizerus* (m) hoc indif-
in urbe. ferenter ad omnia delicta extendit, & inde in crimine ho-
(m) *qu.* micidii quoque locum habere putat, dicitque *Dnn. Jenen-*
4. nū. 6. *ſes* aliquoties homicidæ, qui cum parte offenſa tranſegerat,
pœnam relegationis, vel multam fiſco applicandam dicta-
(n) *d. loc.* viſſe. Ei tamen *Dn. Carpzovius* (n), & rectè, non aliter
n. 25. aſſentitur, quam ſi adhùc alia prægnans cauſa concurrat,
quæ delinquentem aliquatenus à malitia purget, adeoque
Judicem una cum remiſſione læſi ad pœnam mitigandam
invitet.

CAUSA XXXIII. eſt

Multitudo delinquentium, id quod nō capien-
dum

dum eſt de eo caſu, quô multi facinoroſi in Republia exiſtunt, quorum quilibet in particulari peccat; valeret enim hic quod dici ſolet: *Multitudo errantium, non parit errori patrocinium:* ſed intelligi debet de multitudine congregata & conſociationibus ſeu conſpirationibus plurium. Tunc enim ſeveritati aliquid detrahendum eſt, cùm non periculum hujus aut illius, ſed multorum ſtrages timenda ſit. (a) Undè vulgaris verſus:

Ob populum multum crimen pertranſit inultum.

Et hoc cumprimis in militia frequenter obtingit, quando criminum auctores quidem plectuntur, in reliquam verò multitudinem mitius animadvertitur. Teſtis eſt *Cicero in Oratione per Cluentio habita: Statuerunt*, inquit, *maiores noſtri, ut ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna autem ad paucos perveniret.* Exemplum verò nobis *Livius* ſuppeditat (b). Cùm enim adverſus Volſcos contumacia exercitus malè pugnatum eſſet, Appius Claudius Cos. Centuriones duplicarioſque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit: cætera multitudo ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti. *Plutarchus* quoque *in Scipione Africano* ſcribit, quod Scipione ipſo ægrotante, cùm magna inter milites ſeditio orta eſſet, ille rem ad conſilium detulerit, cujus major pars in eos, à quibus initium tumultus ortum erat, animadvertendum, reliquis verò ignoſcendum cenſuerit. Idem *in Craſſo* auctor eſt, hunc dum bellum adverſus Spartacum gereret, ex his qui fugam cœperant, quingentos fugæ auctores in quinquaginta decurias fuiſſe partitum; inde ex earum qualibet unum ſorte delegiſſe, quem in totius oculis exercitus ultimo affecerit ſupplicio. Convenienter proindè *Seneca* (c): *In ſingulos ſeveritas Imperatoris diſtinguitur: at neceſſaria venia eſt, ubi to-*

(a) *c. ordinationes. in fin. 9. qu. 1. c. ipſa pietas. circa fin. c. non poteſt. 23. qu. 4. c. quoties à populis 1. qu. 7. c. denique diſt. 4. c. comeſſationes diſt. 44. c. ſane X. de tempore din. Tiraquell. cauſ. 17. n. 1. ſeqq.* (b) *lib. 2.* (c) *lib. 2. de Ira.*

tos deſævit exercitus. Notandum tamen, quod id non procedat, ſi ipſa multitudo delictum adhuc defendere velit: tùm enim quoquô modô ei non parcendum; ſed vel ſeverius adhuc ob contumaciam plectenda eſſe videtur. (d) Deindè licet multitudini Gratiam faciendam eſſe dixerimus; id tamen non ſolatio cedere debet facinorum auctoribus: quin potius hi tum ob ſummam ipſorummet nequitiam, tùm ut cœteri metu deterreantur, in conſpectu omnium mactandi erunt: (e) uti ex adductis exemplis patuit. Excipienda quoque abhinc maxima graviſſimaque delicta, neque in illis multitudini veniam tribuendam eſſe meritò ſtatuunt (f). Nam hoc exemplo ſuo ipſe comprobaſſe videtur juſtiſſimus Moſes, qui propter peccatum Idololatriæ occidi præcepit tria millia hominum (g). Tandem nec dicta procedere contendunt, cum multitudo religioſorum delinquit, faciendo contra votum aut obſervantiam monachalem; quod ſuo loco relinquimus. (h)

Referunt etiam Ddres inter cauſas Gratiam concedendi conſuetudinem publicam, quæ in populo aliquo viget, putantq; illũ clementius eſſe puniendũ propter minorẽ dolũ, qui tali conſuetudine ductus deliquit. (i) Exemplum refert *Plutarchus* (k) de Romanis, qui cum Barbaros quoſdam Diis immortalibus hominem immolaſſe audiviſſent, Magiſtratus eorum arceſſendos ac puniendos putaverunt; quos poſtea, cùm id conſuetudine quadam feciſſe accepiſſent, eos dimiſerunt, idque poſthâc facere prohibuerunt

(d) *c. 1. circa fin. & ibi gloſſ. in verb. reſcindenda. de pænit. diſt. 6. c. plurimos. &c. quia aliquanti. diſt. 82. c. inter dilectos. X. de exceſſ. prælat.* (e) *facit l. 6. C. ad L. Iul. de vi public.* (f) *Lucas de Penna in l. ſive ex prætoriano. C. de execut. & exact. Felin. in c. dilecti in Chriſto. col. 5. verſ. quod autem. X. de except.* (g) *Exod. 32. verſ. 28.* (h) *Tiraquell. d. cauſa 47. n. ult. apud quem plura præſertim hiſtorica reperies.* (i) *per l. 17. §. 12. D. de ædilit. edict. l. 9. C. de pignorat. act. l. 3. pr. D. de SC. Macedon. gloſſ. in c. cum venerabilis. in verb. migraſſ. X. de conſuetud. Tiraquell. tota cauſ. 42. cum auctor. allegat. Dn. Carpzov. part. 1. qu. 45. n. 76.* (k) *Problem. cap. 83.*

runt. Limitant tamen eandem aſſertionem Ddres, ut conſuetudo ejuſmodi publica non excuſet, ſi ſit contra Jus Divinum aut Naturale (l): item ſi ſit per Principem aut legem abolita, &, ut vulgò dicimus, caſſata. (m)

CAUSA XXXIV. eſt

VItæ anteactæ probitas: propter hanc enim meritò pœna minuitur, quia in tali delinquente minor reſidet malitia, ut quem ex habitu vitioſo non peccaſſe apparet: actus autem à medio aberrantes non tàm mali ſunt, quàm habitus. Et hinc qui ſemel bonus fuit, adhùc talis eſſe, nec tàm citò à vitæ probitate, ad criminum turpitudinem deſiliiſſe præſumitur: cum non facilè credendum ſit, eum, qui diu ſe honeſtum & providum exhibuerit, ſtatim fuiſſe adeo immutatum, ut abjecta omni honeſtatis ac virtutis ratione vitiorum ſectator evaſerit (a). Igitur meritò vitæ anteactæ ratio habenda in æſtimandis dictis factisve hominum, illique, qui cum antea bonæ vitæ ac famæ eſſet, caſu forte aut ex imbecillitate lapſus eſt, mitior pœna dictanda erit. (b) Atque hoc naturâ æquum eſſe incomparabilis *Grotius* teſtatur (c), illudque ipſum Perſas obſervaſſe dicit, ut penes quos ſemper vita anterior ſimul cum delicto in æſtimationem venerit. Eidem tamen placet hanc Gratiam reſtringere ad hos, quibus alioqui non malis ſubitò aliqua peccandi dulcedo ſubrepſit: nullam verò mitigationem in illis locum habere, qui totum vitæ genus immutarunt. Aptari enim his poteſt illud *Thucydidis*: (d) Διπλασίας ζημίας ἄξιοί εἰσιν ὅτι ἀντ' ἀγαθῶν κακοὶ γεγένηνται. *Duplicitèr pœnas merentur eo quod ex bonis mali facti ſunt.* Imò ipſe Deus apud *Ezechielem* (e) affirmat, ſe in talibus nullam vitæ prioris rationem habiturum.

CAUSA

(l) *c. ult. X. de conſuetud.* (m) *Bald in auth. Navigia per illum text. C. de furt. Vide Tiraquell. cit. loc.* (a) *c. cum in inveṅtute. 16. X. de præſumt.* (b) *l. 3. §. 12. D. de re militar. l. 5. pr. & §. 6. D. eod. l. 7. §. 3. D. ad L. Jul. Maieſt. l. unic. ibi: ut ex perſonis hominum dicta penſemus. C. ſi quis Imp. maledix. Tiraqu. cauſ. 51. n. 1. & 3. cum auctor. alleg. Dn. Claſen. cap. 14. cauſ. 17.* (c) *lib. 2. de I. B. ac P. cap. 20. n. 30.* (d) *libr. 1.* (e) *cap. 18. verſ. 24.*

& hâc vice ultima eſt

INterceſſio: quam doctrinæ cauſa hîc *triplicem* facimus, diſtinguendo eam in Interceſſionem primo alicujus *amici* vel *Magnatis*: ſecundo *conjugis*: tertio *Puellæ*, reum in matrimonium petentis. De *priori* res, nî fallor, non adeò difficilis eſt expeditu, cum quilibet noverit, quantū poſſint preces amicorum, Illuſtrium perſonarum, & Principum, quæ propterea etiam vim quandam juſſus habere, & armatæ eſſe dicuntur: (a) ut adeo ſæpè fieri ſoleat, pœnam delinquenti ad talem interceſſionem, ſi non planè remitti, in leniorem tamen converti. (b) Verum cum cauſa iſthæc remittendæ pœnæ meram Gratiam ſapiat; & vero Judicibus ac aliis Magiſtratibus inferioribus jus aggratiandi ſupra denegatum fuerit; ideo dicendum videtur, hos vix ac ne vix quidem pœnam jure ſancitam ad alicujus interceſſionem reo poſſe remittere; ſed ſuperiori tantum poteſtati hoc licere, illisque quibus aliàs jus Gratiam concedendi adſcripſimus. Deindè etiam in illis ſolum poenis hoc procedet, quas ſummus æternusque omnium Judex in ſacro Codice delinquentibus non impoſuit. Quod ſi enim aliquid adverſum Leges vel divinas vel naturales admiſſum fuerit, ſanè iniquum videretur (alio non concurrente reſpectu) ad interceſſionem cujuſcunque pœnam velle immutare, vel reum omninò impunitum dimittere.

Interceſſionē porrò *Conjugis*, in ſolo crimine adulterii validā quod ſpectat, ea quidē vulgo Remiſſio dicitur, & fundamentū ſuum habet *Iure Civili in Nov. 134. c. 10. & Auth. Sed hodiè. C. ad Leg. Iul. de adult.* quam *Novellam* confirmat *Conſtitutio Caroli V. Imp. art. 110.* in *Iure* autem *Saxonico* de hâc eſt *Conſtitutio Elect. 19. part. 4.* § Dieweil. *circ. med.* cujus hæc ſunt verba: Jedoch wollen wir beyde unſers Bru-

ders

(a) *Tiraquell. cauſ. 35. n. 1.* (b) *c. veniā. 35. qu. 9. c. Clerus. diſtinct. 50. c. miror. 17. qu. 5. Dn Claſen. cap. 14 cauſ. 9. Ebner. d. diſp. de offic. iudic. in pœn. remitt. vel mitig. poſit. 61.*

ders und dieſe unſere Conſtitution dahin gnädigſt erleutert und erkläret haben / Wann der Ehegatten einer / alß der Mañ für das Ehebrecheriſche Weib / oder das Weib für den Ehebrecheriſchen Mann ſelbſt bitten / und ſich erbieten würden / demſelbigen / ungeachtet gebrochener Treu und Glaubens / länger ehelichen beyzuwohnen / daß alßdann dem Eheſtand zu Ehren / die Straffe etwas gemildert werde / der Schuldige theil des Landes ewig verwieſen / und der Unſchuldige ſeinem Ehegatten auß unſeren Landen folgen / darinnen ferner nicht wohnen / oder ſich weſentlich auffhalten ſol. Conſtitutionis autem iſtius æquitas hæc eſt. Nempe docemur aliàs, pœnas ita debere infligi, ne ad alios innocentes & à delinquente læſos illæ magis, quam ad ipſum delinquentem, vel æquè pertingant. (a) At verò niſi petitis *e.gr.* uxoris deferretur, præter malum quod ex adulterio mariti perpeſſa eſt, majori adhùc affligeretur, dum conjuge privaretur: quod ſanè fieri non debet. Neque tamen & hoc tolerandum videtur in Republ. ut adulter in oculis hominum verſando, reliquis ſcandalum præbeat, eoſque per impunitatem ſuam ad ſimilia invitet. Quod aliud ergo hic medium reſtat ad evitandum utrumque malum, niſi ut facinoroſus jubeatur in perpetuum ire exilium, & pars innocens ipſum ſequi? Cui poſtremæ per hoc nulla quoque fit injuria, ut in cujus arbitrio poſitum eſt, pro reo intercedere, vel non. (b) Cæterùm hæc remiſſio (1) videtur in foro Civili per *d. Novell.* eo tantum caſu procedere quô uxor mœchata eſt, cui maritus ignoſcere eamque à pœna fuſtigationis liberare valet; non verò tum, quando ipſe maritus per adulterium aliam cognovit. Deindè etiam (2) dici poteſt, quod uxor quidem, ſi maritus ante condemnationem ei condonet, impunè dimittenda, neque pœna corporali affligenda ſit; non vero ſi poſt condemnationem & ſententiam latam ipſi demum ignoſcat

(a) *Dn. Felde Element. Jur. part 2. lib. 2. cap. 3. membr. 4. n. 3.*

(b) *Idem cap. 4. membr. 21. part. 3. art. 11. n. 3.*

gnoſcat, quô caſu maritus uxorem non prius recipere poſſe videtur, quàm ea in carcere privatim virgis cæſa ſit. (c) Enimverò quod prius attinet, *Excellentiſſ. Dn. à Felde* dicit, (d) rectè ab *illius Novellæ* obſervantia recedere Practicos, & non modo marito, ſed etiam uxori intercedendi poteſtatem tribuere; quòd nulla ratio naturalis admittat, ut maritò relinquatur liberum intercedere, uxori non item; cum fragilitas ſexus potius contrarium ſuadeat: non immeritò autem ab eo iure recedi, ex quo aliquid cum ratione pugnans emergit. Poſterius quod ſpectat, neque hoc hodiè in praxi obſervari teſtatur *Dn. Carpzovius* (e), videlicet cum parum interſit, quoad læſionem honoris coniugii, an uxor publicè, an verò privatim in carcere fuſtigetur. Sed nec facilè futurum putat, ut maritus inveniatur, qui uxorem virgis cæſam recipiat. Porrò autem, quæ de remiſſione iſthâc dicta ſunt, in Electoratu Saxoniæ non valent in adulterio duplicato, ſed tantum ſimplici: quod diſertè dicit *d. Conſtit. Elect.* § Es ſol aber. *verb:* Wann aber ein Eheman mit eines andern Eheweib die Ehe gebrochen / ſo laſſen wir es bey der Straffe / ſo biſʒanhero in unſern Schöppenſtülen geſprochen / nemlichē daſʒ ſie beyde mit dem Schwerdt gerichtet werden ſollen / bleiben / Wollen auch das in dieſem Fall gantz keine der Eheleute remiſſion oder Erlaſſung ſtatt haben / noch dieſelbige in etwas angeſehen / viel weniger in urtheilen durch die Schöppenſtüle darauff erkandt / ſondern berührte Lebensſtraff ohn einige Gnade oder Nachlaſſung volſtreckt werden ſoll. etc. Extra tamen Electoratum in aliis terris, in quibus Jus Saxonicum commune viget, in duplicato etiam adulterio remiſſio coniugum locum habet, adeoq; ic tam adultero quàm adulteræ tunc pœna ordinaria gladii aut fuſtigationis remittitur, in locum eius relegatione ſubſtituta: ita tamen ut eo caſu ſemper Superioris arbitrium

(c) *Matth. Coler. part. 1. deciſ. 176. n. 15 Berlich. part. 4. concluſ. 27. n. 98. Nicol. Boër. deciſ. 298. n. 4.*

(d) *cit. loc. n. 4.*

(e) *part. 2. qu. 55. n. 28.*

bitrium neceſſariò requirendum ſit. (f) Jure item Civili nihil obſtare videtur, quominus eadem remiſſio in adulterio duplicato procedat; quoniam illo Jure nuſpiam huic remiſſioni vis adempta legitur. (g) Subiungimus hiſce *Reſponſum 109. eorundem Dnn. Scabinorum datum* an Richter und Schöppen zu Frankfurth an der Oder *M. Junio A. 1607.* Man wolte dann dem Ehemann / in anſehung / daß ſein Weib ſich allbereit erkläret / daß ſie ihme ſeine Verbrechung verzeihen und wieder ehelich beywohnen wolle / Gnade erzeigen / und die Todesſtraffe erlaſſen / uff den fall würde er mit vorwiſſen der hohen Obrigkeit des Landes ewig billich verwieſen / darauß ihme ſein Eheweib mit weſentlicher Wohnung zufolgen ſchuldig. So viel aber das Ehebrecheriſche Weib anbelanget / wird dieſelbe billich zur Staupe geſchlagen / und des Landes ewig verwieſen / Es wolte ihr dann ihr Ehemann ihre Verbrechung gleichfalß verzeihen und wiederumb ehelich beywohnen / uff den fall würde ihr / mit zulaſſung der hohen Obrigkeit / die Leibesſtraff dem heiligen Eheſtand zu Ehren billich erlaſſen / und ſie ohne Staupenſchlägen des Landes ewig verwieſen / darauß ihr ihr Ehmann zufolgen ſchuldig / V. R. W.

Tandem quod *puellæ interceſſionem* concernit, de hâc admodum variæ Ddrum ſunt ſententiæ, aliquibus eam pro valida recipientibus, quibuſdam vero nullam ei efficaciam concedentibus. Qui putant poſſe puellam vel meretricem reum à pœna mortis liberare, ſequentibus ferè rationibus nituntur. 1. dicunt, quod maius condemnato ſit ſupplicium, ducere meretricem, quàm mori. Quale exemplum *Speidelius* (a) refert de quodam furcæ addicto, quem cum puella deformis ac gibboſa in matrimonium ſibi peteret, ille huic repulſam dedit, mortem eligens præ tam monſtroſæ mulieris matrimonio. Quare etiam carnificem admonuit, ut ſine mora laqueum collo iniiceret, ne diutius monſtrum iſtud

(f) *Dn. Carpz. d. loc. n. 109. & ſeqq.*

(g) *Dn. Feltde cit. loc. n. 9. quem vide; & cum primis Dn. Carpz. tota quæſt. ubi hanc materiam pleriſſimè tractat.*

(a) *in Specul. Var. Jurid. Pol. Notab. pag. 125.*

iſtud abominandum intueri cogeretur. 2. putant, poſſe per hanc rationem animam meretricis ſalvari, ac ab hâc damnabili via, in viam honeſti matrimonii reduci. 3. adduntfavorem matrimonii, quẽ tantæ efficaciæ eſſe dicunt, ut morti deſtinatus, ſi velit virginem ſupplicibus precibus intercedentem in uxorem ducere, omnino ab ultimo ſupplicio liberandus ſit. Contra qui negativam tuentur ſententiam, ad allatas rationes ſequentia reponunt. Ad *primam* equidem, non eſſe attendendum, quid huic vel illi levius aut gravius videatur; ſed quid verbis ſententiæ contineatur. Imo ſi gravius ſit ſupplicium meretricem ducere quàm mori, non certè permittendum eſſe, ut reus tali matrimonio, utpote maiori, quam par eſt, pœnâ affligatur: cum pœnæ ſemper delictis debeant commenſurari. *Secundam* rationem dicunt eſſe incertam & lubricam, cum vix fieri poſſit, ut meretrix in coniugio à promiſcua libidine, cui hactenus ceu cloaca quædam publica adſuevit, deſiſtat: imo videtur adhùc licentius in ſcortationibus eſſe perrectura, quoniam conſtante matrimonio facilius quam antea facinora ejus occultari poſſunt. Atque hoc modo (ut *Clariſſ. Dn. Limnæus* loquitur (b)) quam ante matrimonium meretricem, in matrimonio adulteram habebimus, & cum, quem antequam maritus, collo reſtim, nunc capite cornua gerere videbimus vel eſſe lenonem. Facit huc quod *Serranus* (c) narrat, furem quendam damnatum ad reſtim à meretrice ob ſpem matrimonii fuiſſe â patibulo liberatum. Conſtantę conjugio nec ille â furtis; nec hæc ab impuris libidinibus abſtinet. Hæc deprehenſa in turpi facinore occiditur â marito: maritus ob reiteratum furtum tandem funeſta morte, laqueô collo circumjectô, periit. Hic ergo fructus profuſæ tam indignè veniæ fuit. Ad *tertiam* regerunt, quod licet favor matrimonii magnus ſit, tantus tamen

(b) *de Iure publ. lib. 4. cap. 8. n. 289.*

(c) *Hiſtor. Franc. lib. 5. pag. 319. cit. Dn. Claſen. cap. 12.*

men haud eſſe debeat, ut juſtitiam violet, diſciplinamque publicam labefactet. Nam & benè iterum prædictus *Dn. Limnaus* (d): *Si puella, ut maritum nanciſcatur, hoc iuris tribuimus, quidni uxori, quam fur habet, idem tribuemus, ne concordans forte ſolvatur matrimonium? ne quos Deus coniunxit, homo ſeparet? Vana hac omnia, & pœnas nequaquam tollere apta.* Adhæc ſi in matrimonii favorem hoc admitteremus, omnia fere delicta impunita manerent judiciaque redderentur eluſoria, cùm quælibet procul dubio ſpurca mulier virum habere mallet, quàm innupta manere; & quivis facinoroſus connubium meretricis, nedum puellæ honeſtæ, præ acerbo mortis ſupplicio eligeret. Præterea nullibi hic pœnæ tollendæ modus in jure expreſſus reperitur; ideoque nec citra ejus auctoritatem, præſertim cum damno Reipublicæ introducendus erit. Licet etiam *Iulius Clarus* (e) è *Chaſſanao* referat, hocipſum de generali conſuetudine totius Franciæ obſervari; tamen juxta *Proculi* (f) ſententiam non ſpectandum eſt, quid nonnunquam fiat aut factum fuerit, ſed quid fieri debeat. Quamvis & *Tiraquellus* (g) dicat, ſe neſcire, an id olim in Gallia fuerit obſervatum: id autem certò ſcire, ſuo tempore non obſervari. Atque hæc pro negante ſententia. (h) *Dn. Carpzovius* (i) tamen ſe hic quaſi medium præſtat, & *Virgilium Pingitzerum* (k) ſequens, hoc omne Judicis ſuperioris arbitrio relinquit, qui conſiderare debeat, quando ad puellæ interceſſionem reus à morte liberandus ſit. Durum enim admodum eſſe, ſi honeſta puella amore delinquentis languida, hunc ſibi maritum peteret, iuſta ipſius poſtulata aſpernari. Quod ſi verò & aliæ circumſtantiæ concurrant, quæ pœnæ mitigationem operari ſolent, tunc ad talem interceſſionem captivum à Judice ſuperiori iuſtiſſimè poſſe liberari contendit. Atque hæc quidem ſententia non ſpernenda videtur, præſertim

(d) *ibid. n. 290.*

(e) *in §. fin. qu. 98. n. 6.*

(f) *l. 12. D. de offic. Præſid.*

(g) *cauſ. 56. in fin.*

(h) *Vid. Dn. Carpzov. q. 149. n. 51. & auctor. ibi cit. Limnæus d. loc. & Dn. Claſen. ibid.*

(i) *cit. loc. n. 53.*

(k) *quaſtion. Saxon. 8. num. 4.*

ſertim ſi delicta graviſſima & lege divinâ capitalia eximantur. Interim cuilibet aſſenſum ſuum hic liberum permittimus, qui videat quid hâc in re ſibi ad ſequendum tutiſſimum eſſe putet. Certè hanc poſtremam ſententiam *Dnn. Scabini Lipſienſes* non unâ vice approbarunt, & inter alia quoq; *ad conſultationem Quæſtoris* in Freiburgk *A. 1616. h. m. reſponderunt :* Ob nun wohl bey etlichen Rechtslehrern in Zweifel gezogen wird / ob wegen einer ſolchen Vorbitte einem die *ordinaria pœna*, ſo er ſonſten verwirket / füglichen erlaſſen werden könte ; So wird doch nach gemeinem Wahn der Rechtsgelehrten dafür gehalten / daß *de conſuetudine*, jedoch wenn es mit Vorbewuſt und gnädigſter Einwilligung der Hohen Obrigkeit geſchicht / eine ſolche Fürbitte nachgelaſſen / und den Verbrechern und alſo auch gegenwertigen Gefangenen *ab ordinaria pœna liberire* und entfreye. Er würde aber gleichwohl uff den Fall des Landes ewig billich verwieſen / daraus ihme alßdenn vorgedachte Magd / jedoch wenn ſie zuvor mit einander getrauet / und zuſammen geben worden / mit weſentlicher Wohnung zufolgen ſchuldig / V. R. W. Idem

(l) *d. loc. n. 59.* *Dn. Carpzovius* (l) hoc ipſum quoque dicit in caſu adulterii commiſſi in fœminis obtinere: *e. gr.* ſi puella quædam cum marito alterius adulterium patraverit, quidam verò juvenis in matrimonium ſibi eam dari poſtularet, quod tunc ad petitionem ejus à pœna ordinaria liberari poſſet: præſertim ſi non ultimum ſupplicium, ſed pœna tantùm fuſtigationis ei alias ſuſtinenda foret. Undè in tali caſu *iidem Dnn. Scabini Quæſtori Dippoldisvvalenſi A. 1609. hoc Reſponſum dedêre:* Iſt M. M. wegen des mit ihrem Stieff Vater begangenen Ehebruchs der Staupenſchlag / und ewige Landesverweiſung zuerkandt worden / und es hat ſich hernach einer mit Nahmen C. L. dieſelbe zu ehelichen angegeben / ihr auch die Ehe / in beyſein ihrer Eltern und Freunde im Ampte öffentlichen

chen verſprochen/etc. So wird der Gefangenen-M. M. vorbe-rührte Leibesſtraff/dem heiligen Eheſtande zu ehren billich erlaſſen/ und allein die zuerkandte ewige Landes-Verweiſung an ihr vollſtreckket. Es iſt aber gedachter C. L. ihr auch mit weſentlicher Wohnung zu folgen ſchuldig/ V R W.

LXXXVII. Hactenus de veris cauſis ad Gratiam tribuendam impellentibus. Quas non omnes hic recenſitas eſſe liberè fatemur, neque id inſtituti noſtri ratio permiſerit. Sed confidimus tamen potiſſimas ſaltim hic eſſe poſitas & explicatas: imò, ut ſupra quoque monuimus, quædam ex illis propriè non ſunt cauſæ aggratiandi; priores præſertim, ſed cauſæ ex æquitate minuendi vel tollendi pœnam. Promiſcuè autem omnes tractare placuit, quod hoc ipſum â Dribus paſſim factum eſſe viderimus, noſtræque ætati ac tenuitati convenire putaverimus, tantorum virorum, licet ſæpè aliquid humani paſſorum, inſiſtere veſtigiis potius, quàm per omnia ſenſu proprio abundare. Cœterùm quæ hic expoſitæ non ſunt, aut minoris vel nullius ſunt momenti, aut certè ſub aliquâ noſtrarum, commodè continentur: & hujuſmodi ferè ſunt omnes, quas præter hic enarratas celebris ille JCtus & â nobis ſæpè citatus *Andreas Tiraquellus* magna induſtria illuſtravit & explicavit.

LXXXIIX. Conſequens nunc eſt, ut etiam de falſis ſeu putativis, quæque â vulgo pro ſufficientibus ad veniam dandam reputari ſolent, aliqua, ſed pauca in medium adferamus. Pertinet vero huc cumprimis irrationabilis illa conſuetudo, per quam ſi facinoroſus Romæ ad ſupplicium ducitur, ei verò Cardinalis obviam fit, hic ſolâ pilei impoſitione illum â morte liberare poteſt; quâ de re jam ſupra *membr. 3. art. 59.* actum fuit. Conferantur etiam quæ de Privilegio D. Romani *membr. 4. art. 74.* & de Privilegiô aliô, Cœnobio D. Martini datô, *eod. artic.* diximus. Cæterum

rum referunt Lucernæ atque in aliis Helvetiæ locis conſuetudine eſſe introductum, ut, ſi Præſidis Provincialis uxor funem, quô reus ſuſpendi debet, ſuis ipſa manibus abſcindat, furem per hoc ſuppliciô eximere valeat. (a) Ratio hujus moris, nî fallor, omnes latet. Videtur autem propterea eſſe culpabilis, quia hoc modo mulieri tribuitur aliqua quaſi judicandi poteſtas, cujus tamen illa ſuâ fermè naturâ videtur eſſe incapax. Præterea etiam technis multis & fraudibus hâc via occaſio ſubminiſtratur, dum iniquô favore vel auro etiam corrupta mulier modò non cuilibet ſuſpendendo Gratiam ſuam impertire poteſt, & judicium reddere eluſorium. Illud verô cumprimis hic reprehenſionem meretur, quod nec perſonæ nec delicti expenſa qualitate, quemcunque voluerit citra delectum liberare poteſt. Idem jus conſuetudinem firmaſſe dicunt illi mulieri, quæ ſeptem filios, non interrupto per prolem fœmineam ordine, enixa eſt. (b) Sed æquè malè: Licet enim rara ſit tanta mulieris alicujus fœcunditas, potuiſſet tamen, ſi alioqui Reſpubl. civibus laboraſſet, quoad onera civilia privilegium ei quoddam tribui potiùs, quam id concedi, quod cùm juſtitiæ violatione eſt conjunctum.

(a) *Stumpſius* in der Schweitzer-Chronik

(b) *Dn. Claſen. cit. cap. 12.*

LXXXIX. Eſt deindè communis etiam vulgi opinio, veniam mereri reum, ſi de patibulo vivus decidat, vel carnifex uno ictu caput ei non præcidat. Ex quô ſæpè etiam factum, ut inſana plebs carnificem lapidibus obruerit; & aliquando Lubecæ uno die quinque carnifices hâc ratione fuerint trucidati (c). Quale etiam Ratisbonæ contigiſſe *Caſpar Manzius* (d) teſtis eſt, ubi in ipſis Comitiis, præſentibus Imperatore & Imperii Statibus, executionem facere juſſus carnifex & â nece aberrans, unâ cum filio qui patrem defendere nitebatur, in ipſa carnificina ſaxis teliſque interemtus eſt. Undè huic populi temeritati obviam ire voluit *Carolus*

(c) *Bernhard. Zieritzius ad Conſtit. Crimin. Art. 97.*

(d) *ad eand. Conſtitut. art. 97.*

Carolus V. Imp. & in *Conſtit. Criminalis art. 97.* expreſsè ordinavit: Daß der Richter ſol offentlich außrüffen oder verkündigen laſſen / und von der Obrigkeit wegen bey Leib und Guth gebieten/dem Nachrichter keine Verhinderung zu thun / auch ob ihm mißlünge / nicht Hand anzulegen. Hinc quibuſdam in locis ad majorem ſecuritatem cuſtodes apponuntur Carnifici; quod in laudatiſſimæ etiam Patriæ meæ ſplendidiſſima Metropoli Vratiſlavia obſervatum, atque carnificinam militibus ſemper circumdatam fuiſſe memini. Utut verò inſanus iſte mos furibundæ plebis animo ita inhæreat, ut ægrè poſſit indè eradicari, peſſimus tamen ille eſt, & ex falſa opinione proveniens, quâ vulgus putat, der arme Sünder habe ſein Recht außgeſtanden. At enim cùm Judex teneatur ſententiam exequi, quæ ita habet, daß der Dieb oder Todtſchläger mit dem Strange oder Schwerdt vom Leben zum Tode ſol gebracht werden; quis non videt, ſi reus de patibulo decidat, vel infelici carnificis ictu non decolletur, ſententiæ atq; adeò Juſtitiæ nondum per hoc eſſe ſatisfactum; ſed reum liberatum majora adhuc ſcelera poſſe perpetrare, quem tamen ê medio ſublatum eſſe Reipublicæ omnino intererat. Deindè obligatio ex delicto per pœnam tolli debet: tollitur autem ea non niſi quando condemnatus pœnam ſententia præfinitam perfectè ſuſtinuit. Quare licet accidat, quod aliquando *Coquille* (c) teſte Pariſiis factum fuit, ubi carnifex bis furem affixit patibulo, iſte tamen ſemper unà cum carnifice decidit: nihilominus tamen iterum iterumque furcæ affigendus, & qui decollari debet, gladio percutiendus erit, donec plenè ê vita ſublatus fuerit.

(c) *quæ ita allegat Dn. Claſen. d. cap. 12. n. 5.*

XC. Quod ſi iſthæc vera ſunt, ſequitur, neque magis cum facto ſuo liberari, qui de loco executionis Juſtitiæ deſiliendo vel alio modo ê manibus lictorum elabitur. Quamvis enim non culpandus aut graviori pœna afficien-

dus videatur, qui ita ſaluti ſuæ conſuſere conatur; propterea, quod pacto de non-reſiſtendo vel pugnâ vel fugâ mortem inferenti obligari reus non potuerit, quoniam tali pacto obligaretur ad impoſſibile, ſcil. ad eligendum ex duobus malis præſentibus id quod majus eſt; (f) quâ de re autem pacto nullo ſub obligatus, in eâdem libertatem habere intelligor; attamen per hanc libertatem non præjudicari poteſt Magiſtratui, quominus is faciat, quod ei ex alio pacto tacito facere licet, nempe: Si hoc fecero, interfice. Igitur reum iure poterit perſequi, & rurſus adprehenſum convenienti mactare ſupplicio. Deindè nihil etiam negligentiæ Judici poteſt affingi; ſed in culpâ ſunt lictores, qui reum firmius vincire & accuratius obſervare debebant: ideoque hi quia ſupinos ſeſe in officio præſtitêre, caſtigatione digni ſunt; ut in poſterum cautius mercari diſcant. Imò licet ita deſiliens de loco ſupplicii crus vel brachium fregerit, cùm tamen per hoc juſtitiæ nondum ſatisfactum eſſe conſtet, adhùc pœnam ſententia impoſitam ſuſtinere rectè cogetur. Objiciunt *L. 1. D. de bonis eor. qui ante ſentent.* ubi dicitur: *ignoſcendum eſſe ei, qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemtum voluit.* Sed reſpondet *Dn. Cl. ſenius* (g), eam legem de tali caſu loqui, quando quis accuſatorem corrupit ante ſententiam, *i. e.* antequam ſententia de certo pœnæ genere conciperetur & publicaretur: noſtrum verò caſum eſſe poſt publicatam ſententiam, imo in inſtanti actu executionis. (h)

XCI. Communi porrò conſuetudine receptum eſt, ut ſi Princeps homagii recipiendi cauſa Urbem aliquam ingrediatur, vel nova Principis nupta per urbem quandam ducitur, illi qui ob delictum aliquod hactenus extorres fuerunt, ſi currum Principalem apprehendant, vel Sponſam dum ſolenni pompa in Aulam inducitur, ſequantur, in Gratiam

(f) *Vid. Hobbes d. loc. cap 2. art. 18.*

(g) *d. cap 12. pag. 133.*

(h) *Confer l. ult. D. de pravaricat. & l. 18. C. de tranſact. & Gothofr. ibi in not.*

tiam recipiantur. Cauſa unica videtur eſſe honor Principis, vel ſolennis iſtius diei celebratio, quô nihil triſte audiri, ſed omnia lætitiarum plena eſſe conveniat. Addunt alii, hanc eſſe quaſi primam tacitam petitionem, quâ Princeps roget, ut Magiſtratus reo iſti velit parcere: quam adeò velle denegare contra devotam fidem fuerit. Verùm quamcunque tandem cauſam afferas, videtur tamen hoc in more iſto notandum eſſe, quod citra omne diſcrimen cuicunque facinoroſo venia hoc modo ſolet tribui. Ac quàmvis nonnulli exiſtiment, poſſe Principem, ſi poſtmodum atrocitatem criminis reſciſcat, Gratiam illam revocare, talemque hominem Magiſtratui ordinario ad ſumendam de eo pœnam tradere; attamen dubium eſſe poteſt, num id uſu obſervatum unquam fuerit, vel cum laude obſervari queat. Vereor enim ne non extra dedecus ſit poſitum, ſi, quod inconſideratius antea conceſſeras, nunc pudendâ pœnitentiâ revocare velis. Sed inhibendus eſt calamus: cùm Principale culmen venerari potius, quam de eo diſputare conveniat.

XCII. Circa hanc materiam non ineleganter quæritur, quid ſentiendum ſit de eo caſu, quô poteſtas ſuperior condemnato ad mortem optionem dat, num vel dictata morte occumbere velit, vel in foveam ſeu cryptã ſe demittere, & res omnes inibi explorare; juncto tamen promiſſo, ut ſi vivus indè redeat, à pœna omni maneat liber? Videri hoc poſſet in Magiſtratu curioſitatem ſapere: & ſi demiſſio iſthæc ſimpliciter mandaretur, quandam etiam crudelitatem, ut quod reus ibi graviori, quàm par ſit, morte perire queat, forte horrendis ſerpentum draconumve morſibus dilaniandus, vel venenatis etiam halitibus ſuffocandus. Sed tamen ſi Reipublicæ expediret loca iſthæc abſtruſa habere cognita, ſi nemo alius mercede acceptâ illuc deſcendere aude-

 ret,

ret, & tandem ſi reus aliàs morte multandus foret; mihi magnopere obſtare putarem, quò minus optio hæc valere, atque hic inde revertens abſolvi vi promiſſionis poſſet (i).

(i) *Dn. Claſen. d. cap. 12 in fin.*

XCIII. Et hæc denique de omnibus tùm juſtis tum injuſtis concedendæ Gratiæ cauſis dicta ſufficiant. Ubi iterum quæri poteſt: Num Princeps ex merâ Gratiâ citra cauſam reo pœnam remittere poſſit? Videmus non paucos hic conſerere manus, neque id tamen ob prægnantem cauſam, cum hæc quæſtio tantas omnino contentiones ſibi haud expoſcere videatur. Quod ſi enim ſimpliciter & prout hîc poſuimus eam accipias, certè ridiculus eſſet, qui hoc negaret, nec intelligeret, peculium ſuum non ſufficere ad id, ut armatus Principi ſine cauſa abſolventi reſiſtat. Sin hôc modô quæras; An Princeps abſque cauſa & tamen ſine læſione Juſtitiæ pœnam alicui remittere queat? tum utile eſt hoc interrogatum, tale tamen quod diſtinctione facta inter delicta non difficulter etiam expediatur. Etenim ſi peccatum fuerit contra Leges divinas vel naturales, jam ex ſupra dictis (k) conſtat, nulli humanæ poteſtati conceſſum eſſe veniam in his largiri, niſi urgentiſſima cauſa adſit, quæ hoc ipſum juſtè fieri poſſe dictet. Quod ſi verò tranſgrediendo leges ſalum civiles læſæ fuerint, facilè apparet, quod Majeſtas, tanquam earundem fons & origo, citra Juſtitiæ læſionem etiam ſine cauſa Gratiam largiendo illis derogare queat, modò in præcepta prudentiæ civilis non impingat, (l) nec jus publicum aut privatum alicujus lædat. Docent enim Ddres ferè omnes, non poſſe Principem juſtè intereſſe tertii, præſertim pecuniarium remittere, niſi magna ad hoc cauſa adducatur. Vide de hac quæſtione *Proſper. Farinac. lib. 1. tit. 1. Prax. Crim. qu. 6. n. 18. & ſeqq.* Certum interea eſt, quod quamvis Principes aliquando ſine cauſa abſolvere videantur, illi tamen ſemper aliquâ ad Gratiam dandam

(k) *nebr 4. artic. 74. ſeqq.*

(l) *Grot. l. 2. de I. B. & P. c. 20. n. 24.*

dandam moveantur, alioquin fruſtra agerent & abſque fine; quô ſine poſſe actionem humanam conſiſtere, abſurdum dictu eſſet. Anne autem ſufficientes ſemper ſint ad ignoſcendum illæ cauſæ, de hoc nos non ſumus ſolliciti, id omne ipſorummet dijudicationi ac conſcientiæ relinquentes. Cæterùm graviter falleretur, qui putaret, Principis poteſtatem limitari, ſi in danda Gratia ad cauſam reſpiciat: vel, liberare reum ex cauſa, non tàm ex abſoluta poteſtate & Gratiâ, quàm ex quadam extraordinaria iuſti ratione provenire. Malè ſiquidem id, quod fit ex abſoluta poteſtate, opponitur ei, quod fit ex extraordinaria quadam ratione iuſti: cùm hæc duo, in ſe licet diverſa, de uno tamen ſubiecto eodemque reſpectu benè dicantur: & hôc etiam caſu extraordinaria iuſti ratio abſolutam poteſtatem involvat, ut quô aliàs id, quod legibus proviſum eſt, ordinariè fieri deberet. (m)

XCIV. Sub finem Membri huius quærere lubet cum Ddribus: An Judex pœnam ordinariam mitigans vel tollens cauſam in ſententia exprimere teneatur? Quod affirm. Generale ſiquidem eſt, quod ubicunque Judex ex cauſa recedit à jure communi, eam cauſam in ſententia ſua adſcribere debeat. (n) Atque hoc adeò verum eſt, ut etiam Papam, quando ex cauſa aliquid contra ius; concernens univerſalem ſtatum Eccleſiæ, reſcribit, cauſam ſuam exprimere debere ſtatuant. (o) Licet enim Judex regulariter non neceſſe habeat, ut in ſententia ſua cauſam exprimat (p), quin potius

(m) Dn. Claſen. toto cap. 15.

(n) per text. l. 6. D. de Appellat. recip. l. 38. §. 7. D. ad Leg. Jul. de adult. l. 1. C. de præd. Decur. ſine decret. non alien. Tiraquell. in præfat. tract. de pœn. temp. aut remitt. num. 55. ſeqq. Proſp. Farin. lib. 1. tit. 3. qu. 17. n. 63. Dn. Carpz. part. 3. qu. 142. n. 55.

(o) Oldrad. conſil. 326 quod articuli dati. col. 2. verſ. item non ſufficit. apud Tiraquell. & Farinac. cit. locc. (p) *c. ſicut. c. cum Bertholdus X. de ſentent. & re iudic.*

potius fatuus ſit, qui eam expreſſerit, cùm hoc modo viam aperiat impugnandæ ſuæ ſententiæ (q): attamen hoc facere debet, quando ex cauſa recedit à pœna legali, ſtatutaria ſeu conſuetudinaria, illam augendo vel minuendo. (r) Circa noſtram tamen aſſertionem notandum eſt, quod cauſæ in ſententia expreſſio tantum requiratur ad excuſationem Judicis, ne ſcilicet teneatur in Syndicatu; non ad ipſius ſententiæ validitatem & ſubſtantiam. Nam ſi ſine cauſa hoc facit, lex ſupplet id quod deeſt in ſententia (s). Deindè etiam ſufficit cauſam in ſententia exprimi in genere, puta h. m: *Iuſtis de cauſis animum noſtrum moventibus*: auß gewiſſen oder bewegenden Urſachen. (t) Nam & aliàs in dubio pro Judice præſumendum, quod pœnam Juris communis ex juſta cauſa mutaverit: quod in praxi diligenter obſervandum eſſe *Andreas Gailius* (u) monet.

(q) *l. n. d. in l. ſi is ad quem. D. de acquir. hæredit.*
(r) *Tiraquell. d. loc. n. 54. & ſeqq. Farinac. cit. loc. n. 62. cum Ddrib. ibi alleg.*
(s) *l. 4. §. 5. D. de re iudic. Salyc. in l. properandū. 13. §. illo procul dubio 9 C. de Iudic. Bartol. in l. relegatorum. §. ad tempus. in fin. D. de interd. & relegat. Tiraqu. d. loc. n. 70. Farin. ibid. n. 64.* (t) *Tiraqu. Farinac. Carpzov. cit. locc.* (u) *de P. P. lib. 2. cap. 9. n. 26.*

MEMBRUM VI. ET ULTIMUM.

EXPONUNTUR MODI FACIENDI GRATIAM, EIUS FINIS, REQUISITA, INTERPRETATIO, COGNATA ET CONTRARIA.

CONSPECTUS.

95. *Remitti pœnam ex Gratiâ vel in totum;*
96. *Vel ex parte.*
97. *Vel ob cauſam; vel citra eam.*
98 *Vel expreſſè, vel tacitè.*
99. *Vel ſpecialiter pro uno aliquo delicto; vel generaliter pro omnibus.*
100. *Fines Gratiæ varios eſſe poſſe: ultimum vero debere conſtitui ſalutem Reipublicæ.*
101. *Quæ requirantur ad hoc ut*

ut Gratia tali bene ſe habeat.

102. *Simplicem Gratiæ tributionem regulariter non experari reſtitutionem bonorum confiſcatorum, honorũ & priſtinorum jurium.*

103. *Reſtitutum per Gratiam non eſſe admittendum ad officia, ſi dignior vel virtutibus par haberi queat.*

104. *Condonatum tamen crimen tali non debere exprobrari: ſin hoc fiat ei actionem injuriarũ competere.*

105. *Multò minus verò Patris delictum filio eſſe objiciendum: nam nec hunc quoad honores per illud impediri.*

106. *Cognatas admodum ſibi invicem eſſe Gratiam & Æquitatem: uti quoq; Jus ex Æquitate & jus ex Gratia remittendi pœnam: reipſa tamen eſſe diſtincta: quod monſtratur.*

107. *Affinem etiam Gratiæ eſſe Abolitionem: quæ quotuplex ſit exponitur.*

108. *Contrariam Gratiæ eſſe crudelitatem:*

109. *Eidem quoq; adverſari argumenta illorum, qui eam illicitam aſſerunt. Hæc adferuntur, & ad ſingula reſpondetur.*

XCV. MODORUM illorum, quibus venia datur maleficio, fortè plures ſunt; nos tamen brevitatis ſtudio *quatuor* potiſſimos hùc apponemus. Etenim I. remittitur pœna per Gratiam vel *in totum*, vel ſaltim *ex parte*. (a) Quod utrumque *Seneca* exprimit, quando dicit (b): *Pœnam ſi tutò poterit, donet: ſi minus, temperet.* Et in totum quidem remittitur pœna, quando reus ab omni, tum corporali, tum etiam pecuniaria animadverſione liberatur: cujuſmodi Gratiæ exempla aliquot ſupra *Membr. 2. artic. 30.* adduximus. Quibus ſimile eſt, quod de Piſiſtrato Athenienſium tyranno legimus. Hujus enim uxorem publico convitio juvenes quidam inceſſerant, qui cum poſtridiè errorem ſuum agnoſcerent, & præ formidine profuſis lacrymis veniam à Piſiſtrato peterent, ipſe nequaquam ad iram aut ultio-

(a) *Vid. Grot. de I. B. ac P. lib. 2. c. 20. n. 30. in pr.*

(b) *libr. 1. de clem. cap. 20.*

ultionem animo permotus reſpondit: *In poſterum modeſtiores eſtote: quanquam uxor mea, ſicut vos arbitramini, heſterna die domum egreſſa non fuerit.* Verbo, inquit *Baptiſta Fulgoſus* (c), in quo non minus prudentiæ, quàm humanitatis fuit, juvenum errorem, & illatum uxori dedecus texit. Neque minore clementia Alphonſus XI. Rex Caſtilionenſis uſus eſt, cùm Algaziram urbem à Mauris poſſeſſam obſideret. Ad eum namque Maurus quidam, ceu alter Scævola, ut ipſum interimeret profectus, cùm captus eſſet, atque habita diſquiſitione fateretur, ejus rei gratia iviſſe, ut pro patria Diiſque ſuis vitam offerret; novis amictum veſtibus, data inſuper pecunia, multis contra ſuadentibus, cum præſidio incolumem ad Belmarin Regem miſit, cui Maurus ille parebat. Is autem quanquam barbarus, non minus tamen Alphonſo humanus, diu acerba voce reprehenſum, quòd tanti animi Regem occidere tentaſſet, ſtatim, ne pœnam evaderet, interfici juſſit. (d) Plura adducere non opus reor, cùm hiſtorias volventi illa ubivis obvia ſint. Quomodo autem hæc ſpecies Gratiæ involvat diſpenſationem de lege ejuſque ſanctione pœnali, condonationem culpæ, & remiſſionem pœnæ, qui volet legat apud *Dn. D. Claſen. cap. 17.*

(c) *libr. 5.*

(d) *Baptiſt. Fulgoſ. ibid.*

XCVI. *Ex parte* fit remiſſio, cùm pœna quidem in totum non tollitur, mitior tamen, quàm jure potuiſſet aut debuiſſet, ex Gratia reodictatur: *e. gr.* ſi furi pœna ſuſpendii in fuſtigationem & perpetuam relegationem converteretur: quali in caſu *Dnn. Scabini Lipſienſes A. 1632. Quæſtori Delicino* reſponderunt: So möchte inquiſitin von wegen ſolcher ihrer begangenen und bekandten Dieuben/ mit dem Strange vom Leben zum Tode gerichtet und geſtrafft werden. Es wolte denn Churfürſtl. Durchleuchtigkeit zu Sachſen/ unſer Gnädigſter Herr/ der gefangenen Vettel/ in anſehung/

hung / daß ſie nunmehr über ein Jahr geſeſſen / Gnade erzeigen / und die Todesſtraff gnädigſt erlaſſen / uff ſolchen Fall würde ſie öffentlichen billich zur Staupe geſchlagen / und des Landes ewig vorwieſen / V. R. W. Quantumvis autem aliquando ei, cui Gratia fit, pœna mortis imponatur, nihilominus tamen hoc aggratiationis nomen adhuc meretur, ſi pœna illa ordinariâ aut debitâ ſit levior. Nam & ſi dolores ac cruciatus mortis damnato in executione minuantur, vel corpus, quod aliàs corvis depaſcendum relinqueretur, ſepulturæ tradatur; hoc omninò pro Gratia quadam reputandum eſt. Cœterùm nemo exiſtimare debet, quaſi hanc partem, nempe mitigationem pœnæ, ſupra in definitione Gratiæ neglexerimus, ut quô loco ſolā vocem **Remittit** poſuimus; quemadmodum & paſſim in hâc diſſertatione noſtra unico ferè **Remiſſionis** vocabulo uſi ſumus. Etenim, ſi verum exacte ſequi velimus, verba **Remittere pœnam** non ſaltim ſignificant, pœnam totam tollere; ſed idem etiam valent, quod pœnam lenire ſeu mitigare. Ac licet plerique Ddres in ſenſu totalis remiſſionis eâdem voce utantur; ſi tamen probatos quâ Latinitatem Scriptores introſpicias, ſæpè *Remittere* pro *Levare*, vel *Mitigare* poſitum reperies. Indè eſt quod dicamus *remittere animũ*, hoc eſt, relaxare, dem Hertzen Lufft laſſen. Et apud *Terent.* legitur: *morbus, dolores remittunt*, die Wehtage laſſen nach. Apud *Cæſarem* verò habetur: *remiſſius frigus*, gelindere Kälte: *remiſſe cum aliquo agere* apud *Cicer.* & *Saluſt.* Dicimus etiam: *remiſſe loqui*, ſchwächlich reden. Et *Quintilianus*: *Danda eſt omnibus aliqua remiſſio*, Ruhe und Ergetzung. Ita & *Tacitus*: (c) *Remiſſum aliquid poſtea, & mitigatum, quia expedierit*. Vide *Theſaur. Fabri in voce Remittere*. Deindè nec obſtaret, ſi diceres, ex Æquitate pœnæ mitiga-

(c) *A. 3, 34, 6.*

tionem oriri. Verum enim illud eſt; ſed hinc non ſequitur: Ergo non eſt Gratia. Planè enim diverſo modo ex Æquitate mitior pœna imponitur, puta quô caſu manentibus iisdem circumſtantiis pœna gravior nimia adeoque injuſta foret: igitur hæc ex Æquitate mitigata hîc & nunc ſola juſta eſt & imponi poteſt. At aliter in mitigatione ex Gratia accidit: quippe ubi præter mitigatam pœnam ordinaria aut alia juſta eſſet, vel etiam iuſtior: ut adeò illa prioris modi ſit quaſi neceſſaria, hæc verò poſterioris arbitraria, & ex placito imponentis proveniens. Præterea quando ex æquitate pœna temperatur, ſemper ſolida cauſa idipſum iubeat neceſſe eſt: ſed gratioſam mitigationem non adeò urgens cauſa ſuadet; ſæpè etiam leviſſima vel reapſe nulla intervenit. Verum multa ut hic faciamus non eſt opus, cum rem hanc omnem ſupra *Membr. 2. artic. 32.* perſpicuè diſtinxerimus & explicaverimus. (f) Sub remiſſione pœnæ quæ fit *ex parte*, complectimur etiam gratioſam pœnæ alterationem, quam aliqui forte citra neceſſitatem à mitigatione diſtinguunt. Nam ſive in aggratiando genus pœnæ mutetur, ſive ſervetur, perindè eſt: cùm & alteratio pœnæ ratione generis, ſi mitior ordinariâ infligatur, ſub mitigatione quam commodiſſimè comprehendi queat. Decet autem, ut obſervemus illud Metaphyſicorum, *Entia non multiplicari præter rerum neceſſitatem.*

(f) *Vid. Dn. Claſen. d. cap. 17. pag. 181. in fin. & pag. 182. vid. etiam infra art. 104.*

XCVII. Fit II Gratia vel *ob cauſam*, vel *citra eam.* Quamvis autem facilius & pro lubitu ferè Maieſtas in delictis adversùm leges ſuas commiſſis ignoſcere poſſit; modò per hoc nec publico Statui, nec commodo etiam privati cuiusquam officiat; attamen cavere debet, ne in criminibus divina lege notatis citra ullam aut bonam cauſam alicui veniam impertiat. Quid enim magis conveniet humanæ Maieſtati, ceu divinæ ac æternæ illius adminiſtræ, quàm ea-

dem

dem diligentia mandata ejus cuſtodire, quâ juſſa propria â ſubditis ſuis obſervari ac reverenter haberi deſiderat? Atq; exindè minimè probanda eſt illorum Principum levitas, qui ſæpè ſine cauſa voluntariis etiam homicidis pœnam divino ore impoſitam condonant, eoſque in Gratiam recipiunt. Sine cauſa dixi: nam licet in *anteced. art. 93.* benè poſitum fuerit, non poſſe fieri, quin Principes ſemper in danda Gratia ad cauſam aliquam reſpiciant; tamen leviſſima quæque vel injuſta pro cauſa nulla meritò habetur, & ſic neque excuſare valet.

XCIIX. Fit III. Gratia vel *expreſſe* vel *tacitè*. *Expreſſe* quidem, quando *v. gr.* per ſententiam vel alia verba mentio fit delicti & pœnæ, quâ illud vindicari poſſet, additur autem, ob certam cauſam & ex ſingulari Gratia quod admiſsū fuit condonari. Et hoc modo utplurimū ſolet Gratia impertiri. *Tacitè* verò ignoſci cenſetur, quando Princeps criminis vindictam prætermittit, reum in Aula ſua verſari, priſtino munere fungi, vel facere ſinit, quæ reis alias non concedi ſolent.

XCIX. Tandē IV. conſequimur Gratiam vel *ſpecialiter pro uno aliquo delicto*, vel *generaliter pro omnibus. Specialiter pro uno delicto* ſæpiùs ſolet Gratia tribui, neq; malè, ſi quædam ex ſuperioribus vel ſimilis cauſa Principē ad hoc commoveat. Quod ſi tamen ſubreptitia fuerit, magis eſt ut dicamus, eam non valere, ſed tutò poſſe retractari. Dicitur verò ſubreptitia, quando reus potiſſimas delicti circumſtantias, pœnam aliàs aggravantes, & quæ Principis animum veriſimiliter retrahere potuiſſent â Gratiæ conceſſione, ſi illas ſciviſſet, fraudulenter reticuit. (g) Idem eſſet, ſi quis plura facinora patraſſet præſertim atrocia, quorum priora in Magiſtratus notitiam non perveniſſent: tum enim licet de *damno-*

(g) *Jaſon in l. nec ultimo ſa C. de precib. Imper. offer. Anton. Gomez. tit. de tortur. reor. n. 38. verſ. item adde.*

ultimo Gratiam nactus fuerit, cùm tamen per obreptionem ſit elicita, ea vitiatur, & delinquens debito ſubjici ſupplicio poteſt: (h) niſi præcipua quædam qualitas ejus adhuc obſtet. Nam alias non præſumitur, Principem voluiſſe remittere delictum geminatum & reiteratum, niſi expreſsè facta reiterationis & geminationis mentione (i). Faciunt enim huc verba *Imppp. Valentiniani, Theodoſii* & *Arcadii*: (k) *Remiſſionem veniæ crimina niſi ſemel commiſſa non habeant: nec in eos liberalitatis Auguſtæ referatur humanitas, qui impunitatem veteris admiſſi non emendationi potius quàm conſuetudini deputaverint. Generaliter* fit Gratia, ſi Princeps uni perſonæ in genere condonat omnia delicta, vel generaliter omnibus delinquentibus indulgentiam concedit & de omnibus delictis per eos commiſſis. Atque hoc in diebus publicæ lætitiæ potiſſimum ſolet accidere. Putat *Farinacius* (l) hanc generalem Gratiam etiam complecti crimina enormia & graviſſima, puta læſæ Majeſtatis, homicidii, aſſaſſinii, item notoria & liquida: ſed hoc videtur eſſe contra *d. L. nemo 3. C. de Epiſc. Audient.* & ſi fiat, hanc indulgentiam malam Deoque inviſam eſſe meritò ſtatueris. Et hæc breviter de Modis dandi Gratiam.

C. FINEM Gratiæ noſtræ quod ſpectat, de illo DD. res planè non conveniunt. *Bolognetus* ſtatuit, quòd *cum Magiſtratus obſtrictus aliàs ſecundum leges, & ex legibus judicare, à pœna legibus præſcripta recedit, & eam aufert vel alterat, cùm unicè id faciat, ut vires poteſtatis ſuæ oſtendat, & ſe legibus ſuperiorem eſſe ſignificet.* Quæ verba, licet aliquâ ex parte notam mereantur, inermibus tamen rationibus, me judice, non nemo ea refellere conatur. Ex adverſo ille ſtatuit, proprium & ultimum finem in exercitio Juris aggratiandi eſſe Æquitatem: quæ aſſertio neſcio numne ſatis pungat priorem ejus ſententiam, per quam ipſe Æquitatem,

(h) *Proſper. Farin. lib. 1 tit. 1. qu. 6. n. 46. 49. & 50 verſ. Ego autẽ. Vid. tamen Dn. Claſen. cap. ult. pag. 195.*

(i) *Maſcard. in tract. de probat. lib. 2. cõcl. 838. n. 8. ex Bald. in l. nemo. 3 C. de Epiſc. audient. & aliis.*

(k) *d. l. 3. C. de Epiſc. audient.*

(l) *d. qu. 6. in fine.*

tem, tanquam naturâ planè diverſam, diſertè atque benè â Jure aggratiandi removit ac diſtinxit. Argumenta, quæ pro confirmando illo fine adfert, ſingula quadam falſitate laborant: quod oſtendere nobis non ingratum eſſet, niſi tempori tandem & chartæ hic parcendum foret: reſervatum verò alii otio & occaſioni eſto. Porrò *Petrus Heigius* (m) exiſtimat, Principem ſupremum jus aggratiandi propterea ſibi reſervaſſe, ut benignitatis & clementiæ laudem conſequeretur, ſubditorumque amorem ſibi conciliaret, ac populi invidiam, quæ alias nimia aſperitate contrahitur, à ſe derivaret. *Dn.* verò *Carpzovius* (n), huius Gratiæ & alios poſſe dari fines putat; veluti quando Princeps multitudini & rebellibus, rebus Reipubl. deſperatis exiſtentibus, parcit, aut privatas offenſiones remittit, ad continendum vulgus in officio (o): item ad obtinendam ac conſervandam tranquillitatem publicam, adeòque Reipublicæ ſtatum ſalvum retinendum (p): vel etiam ad confirmandum Statutum, aut morem populi (q). Et ſanè non videtur ita certò poſſe determinari, quis cuiuslibet veniam delicti concedentis finis tandem ſit. Si enim ullibi, hic certè valet id quod Philoſophorum ore teritur: *unius rei plures poſſe eſſe fines.* Undè licet hic Princeps in dandâ Gratiâ hunc ſibi finem propoſitum habeat, iſte tamen alium intendet, & tertius iterum ab his diſtinctum. Uti enim diverſum eſt principium motus in diverſis agentibus, ita diverſos et iam diverſorum fines eſſe neceſſe eſt. Quod ſi verò ultimus tandem aliquis conſtituendus ſit, & quidem de iure non facto ſolo loquendum, optimè forſan dixeris ſummum Gratiæ noſtræ finem debere eſſe SALUTEM REIPUBLICÆ; nam in omnibus quæ cives agimus Salus Reipublicæ ſuprema lex eſto.

(m) *part 2. qu. 22. num. 6.*

(n) *part. 3. qu. 150. num. 13.*

(o) *Richter. Axiom. Polit. 46.*

(p) *Fariنac. d. q. 6. num. 42.*

(q) *Tiber. Decian. in tract. Crimin. lib. 3. c. 35. n. 3. Petr. Theodor in Colleg.* Cl. *Crimin. diſp. 10. th. 7. lit. B.*

CI. Cœterùm cùm delicti Gratia dupliciter fieri poſſit, unô modô *culpabiliter*, dùm vel ille, cui hoc ius non competit, ignoſcit, vel etiam contra Jus Divinum temerè & ob nullam probabilem cauſam diſpenſatur: altero modo *laudabiliter* & licite, quando ſcil. is qui poteſtate hâc gaudet, & debita ratione indulget: ideò nunc ſummatim tandem conſtituenda ſunt REQUISITA ad hoc, ut ius Gratiæ noſtræ recte & citra notam exerceri poſſit. Facile autem patet ex iis, quæ ſupra multoties inculcavimus, quod ad exercitium Gratiæ requiratur (1) *Abſoluta poteſtas*. Per quam tamen non intelligimus illam ſolum, quæ ita *ſimpliciter* abſoluta vocatur, quamque Reges, Reſpublicæ liberæ & alii ſummi Imperantes obtinent; verum & eam, quæ *ſecundum quid* talis eſt, & ſuperiori quidem poteſtati in quibuſdam ſubiicitur, ratione Superioritatis tamen Territorialis ut iuribus aliis, ita & hâc facultate aggratiandi liberrime utitur: cuiuſmodi ſunt Status Imperii noſtri, Duces, Principes & Civitates Imperiales. Sed de hoc ſupra toto *Membr. 3.* prolixe actum fuit. (2) Requiritur *Legis obſervatio*, nempe num civilis ſaltim ſit, ac ab ipſo ignoſcente profecta; an verò naturalis, aut à divino Legislatore ceu actionum regula mortalibus propoſita. In delictis contra illas admiſſis facilis erit veniæ conceſſio, dummodo nec utilitas publica, nec ius privatim alicui quæſitum exinde lædatur. Quanquam & citra hanc reſtrictionem modus adhibendus ſit huic diſpenſationi, nec *ſæpius* & *temerè* exercenda talis liberalitas. Quî enim poterit à ſubditis legis ſperare obſervantiam, qui ipſe actionibus ſuis tenorem eius infringere non dubitat? Maxima tamen cura adhibenda eſt circa illarum pœnarum remiſſionem, quas divina Maieſtas à delinquentibus ſuſtineri voluit. Non enim hic levicula quævis cauſa ſufficere videtur, ſed certe gravior requiri;

cùm

cùm citra eam abſolvens, *Thomæ* teſte (r), peccatum mortale contra conſcientiam committat. Interea hoc non ita accipiendum, quaſi in his criminibus nunquam ignoſcere liceat: nam tutò poterit aliquando conniveri, ſi præſentis Status ratio hocipſum ſuaſerit, vel magna Reipublicæ utilitas exegerit. (3) Requiritur *qualitas delinquentis*, & quæ hinc naſcitur *cauſa probabilis* ad Gratiam faciendam impellens. Etenim quando puer, & vir juſtæ ætatis idem faciunt, non eſt idem: uti neque fœminæ & maris, muti & loquentis, ſurdi & audientis, furioſi & hominis ſanâ mente præditi, ſenatoris & opificis, divitis & egeni, eſurientis & ſaturi actiones eodem pretio æſtimari convenit. Has verò differentias jam *Membr. 5. artic. 85.* poſuimus, & pòſt quoque cauſas pleraſque ad Gratiam faciendam moventes prolixè tractavimus, ut adeò, ſi hic repetitio eorum omnium inſtitueretur, crambe bis cocta videri poſſet. Hoc unum tantùm quod ſupra *art. 93.* hic rurſus monemus, nempe valde illos errare, qui putant, abſolutam Principis poteſtatem limitari, ſi in condonando crimine ad cauſam aliquam reſpiciat. Illi verò conſiderare debebant, poſſe quàm optimè eundem actum ê ſumma poteſtate reſultare, & tamen ſimul per bonam cauſam juſtificari. (s) Pari etiam facilitate iſti negarent, abſolutam dominationem & juſtitiam in eodem ſubjecto poſſe conſpirare. At vero hâc ratione velle ſtatuere, Principalem poteſtatem in turpibus tantum & illicitis occupari, deterrimi nebulonis eſſet ſententia.

CII. Porrò ut quædam quoque INTERPRETATIONEM Gratiæ ſpectantia hûc adferamus, quæritur: An Gratiæ conceſſio operetur reſtitutionem bonorum confiſcatorum, famæ, honoris, & in genere priſtinorum jurium? Quod regulariter negatur (t); nam non ideò quod quis per indul-

(r) *2. qu. 62, art. 4*

(s) *Dn. Claſen. cap. 15. pag. 161. in fin.*

(t) *l. 2. l. 7. C. de ſentent. paſſ. & reſtitut. Salycet. ad l. in quaſtione. ult. C. d. tit. Proſ. Farinac. d. qu. 6. n. 28. verſ. Contrariam.*

indulgentiam à pœna liberatus eſt, etiam horum omnium reſtitutionem impetravit. (u) Interea tamen ſi in Reſcripto Principis deprehendatur, quod Gratia *plena* ſeu *plenaria* facta ſit, vel *ad omnia*; tum quia talis Gratia habet vim gratioſæ reſtitutionis in integrum, non jam in terminis remiſſionis vel alterationis pœnæ tantum ſubſiſti; ſed ea licitè etiam extendi poterit ad bona confiſcata, famam, honorem, & jura alia. (x) Atque hoc magis adhuc procedit, quando Princeps una cum Gratia illa reum in priſtinum ſtatum reſtituit, adeòque verbo *Reſtituo* uſus fuit. Tum enim nullum dubium reſtat, quin tantundem reſtitutionis Gratia tribuat, quantum condemnationis ſententia ademit (y). Ratio autem aſſertionis noſtræ, cur nimirum ſimplicis Gratiæ tributio ad prædicta non trahatur, hæc eſt, quod nimirum Reſcripta Gratiæ ſint ſtricti juris; & ultra expreſsè in illis contenta non extendantur. Undè ſi in iis poſitum reperiatur, quod *Gratia delicti* facta ſit, ſolius tantum pœnæ remiſſio intelligitur, & ultra eam nihil. (z) Neque obſtat quod dicitur, beneficia Principum eſſe latiſſimè interpretanda (a). Regula enim illa non procedit, quàndo beneficia à Principe conceduntur contra publicam utilitatem aut ordinem iuſtitiæ, uti ſunt Gratiæ delinquentibus conceſſæ; præſertim ſi talia beneficia ſeu privilegia ſint fiſco damnoſa, quo caſu reſtringuntur & interpretari debent, ut quàm minimum fiſco præiudicent. (b) Plures caſus in quibus Gratia conceſſa ad bona confiſcata extenditur, uti & alteram quæſtionem: num ſc. ea trahatur ad bona confiſcata & in tertium translata? pleniſſimè tractatam, vide apud ſæpè laudatum *Proſperum Farinac. d. qu. 6. num. 28. & ſeqq.*

CIII. Alius adhuc quæſtionis eſt: an qui per Gratiam

(u) *d. l. 1 C. eod.*

(x) *l. 1 C. eod. Farin. d. loc. limit 1. Dn. Claſen. cap. ult. pag. 197. in fin. & 198.*

(y) *l. ult. §. ult. C. d. t. Farin. ibid. n. 32.*

(z) *Dn. Claſen. d. loc*

(a) *l. 3. D. de cōſtit. Princip. l. 2. C. de bonis vacant. c. cum dilecti. X. de donat. c. olim. X. de verb. ſignif. c. 15. de regul. iur. in 6to.*

(b) *l. 3. ubi Iaſon & alij. C. de precib. Imper. offer. Proſp. Farinac. d. loc. n. 28. verſ. minus obſtat.*

tiam ad omnia eſt reſtitutus, etiam ad dignitates & officia honorifica eligi ac admitti poſſit? Quod affirmandum videtur, quoniam ſi electus non admitteretur, apertè Principis voluntati contraveniretur. Adhæc per talem generalem Gratiam repoſitus eſt reus in eum ſtatum, in quô erat, antequam delinqueret. Atqui tum temporis licitè poterat ad officia admitti. Ergo ſequitur neque jam eum debere repelli, ut qui perinde habendus eſt, ac ſi delictum nullum perpetraſſet. Nihilo tamen minus, ſi dignior vel ſaltim quoad cœtera par haberi poteſt, â prudentia & æquitate non alienum judicarem hunc præ tali aggratiato eligere. Namque licet juris infamia ipſum minimè tangat, facti tamen infamia aut minimum levis notæ macula nondum ceſſat, dũ propter crimen commiſſum ipſius exiſtimatio honeſtorum judicio adhùc gravatur. (c) Imo ſi de jure loqui velimus, certum eſt, quod infamiâ facti aut levi maculâ oneratis dignitatum portæ non pateant, & in officiis etiam minoribus integræ opinionis homines ſint præferendi (d). Unde tales excluduntur ab officio Notariatus (e), acarcentur â collegiis opificum (f). Et quamvìs aliquando contingat, ut opifices eum qui ſcortatione vel alio facinore ſe polluit, in collegiis ſuis adhùc patiantur; quod certè raro accidit: ad munera tamen tribubus iſtis annexa eum nunquam promovent. (g)

CIV. Enimvero licet iſthæc vera ſint: iniquum tamen eſſet, ejuſmodi homini condonatum crimen exprobrare. Imo dicendum eſt, ei actionem injuriarum competere

(c) facit l.2.D.de obſequ. parent. & patrõ. praſtãd. l.13.l.17. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. Dn. Claſen. d. cap. ult. pag. 199. (d) *L.2.C.de dignitat.l.3.§.2. D.de decurion.c.infamibus.87. de reg.jur. in 6to. Magnific. Dn. Hahnius ad tit. de his qui notant. infam. ſub n.8. Dn. Struvius Syntagm. I.C. Exerc.7.th.17.& 20.* (e) *Receſſ. Imp.* zu Cölln *de A.1512.§.* erſtlich. (f) *Dn. Hahnius & Dn. Struv. cit. loc. Vid. Dn. Richter. part. 2. deciſ. 80. n. 10. & ſeqq.* (g) *Exemplum vide apud Dn. Claſen. d. pag. 199.*

tere adverſus illum, qui tale quicquam obiicere auderet: poſitô hôc, quod per Gratiam plenariam ad omnia reſtitutus fuerit. Etenim cui culpa & pœna condonata ſunt, is in eam repoſitus eſt conditionem, in quâ conſtitutus erat antequam crimen commiſiſſet. Atqui tum pro delinquente non habebatur: ergo nec hoc tempore pro tali habendus eſt: ergo convitium fuerit, delictum aliquod obiicere illi, qui nullum perpetraſſe intelligitur. Jam vero cui convitium fit, illi fit iniuria (h): cui autem fit iniuria, ille habet actionem iniuriarum. Igitur perſpicuum evadit, ei hanc actionem competere, cui condonatum crimen exprobratur, ad ſe tuendum adverſus eum, qui illud exprobrare auſus eſt.

(h) *l. 1. § 2. D. de iniur.*

CV. Quod ſi hæc vera ſunt, adhuc magis iniuſtè ageret, qui filio delicta patris obiicere vellet, utpote ab omni culpa longè remotisſimo. Et hinc certum eſt quod nec quoad honores adipiſcendos admiſſa parentum liberis ullo modo nocere debeant. Diſertè enim *Ulpianus* (i): *Nullum patris delictum innocenti filio pœna eſt, ideoq́ nec ordine decurionum aut cæteris honoribus propter eiuſmodi cauſam prohibetur.* Rationem dat *Calliſtratus*: (k) *Crimen*, ait, *vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt: namq́ unusquisq́ ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur: nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur.* Et ut alibi dicitur (l), *peccata ſuos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quàm reperiatur delictum.* Scilicet quodlibet crimen eſt perſonale, indè ultra peccantis perſonam illud extendere contra rationem foret. Excipiunt D.res crimen læſæ Maieſtatis: huius enim qui reus fuerit, illius neque filii ad honores ullos pervenire queunt; ſed perpetuo egentes & pauperes eſſe debent, infamiaque eos paterna ſemper comitari (m). Quod ſi tamen ipſe

(i) *l. 2. §. 7. D. de decurio. & d. l. 2. §. 2. in fin. l. 7. l. 9. D. de Senator. l. 8. § 2. in fin. de in ius vocan. l. 3. § 3. D. de muner.*

(k) *l. 26. D. de pœn.* (l) *l. 22. C. de pœn. adde l. 74. de R. I.* (m) *l. 5. § 1. C. ad Leg. Iul. Maieſt.*

ipſe qui crimen illud commiſerit, ſummæ poteſtati reconciliatus fuerit, hæc reconciliatio & Gratia etiam filiis eius proderit. (n)

CVI. COGNATA admodum Gratiæ eſt Æquitas, quippe quæ & ipſa benigniorem ſe in pœnarum inflictione exhibet: quamvis & aliquando ex Æquitate pœna ordinariâ gravior imponi queat, nempe quando reus nimis enormiter deliquit. Exemplum datur in latrocinio: huius enim pœna ordinaria eſt rotæ ſupplicium (o). Quod ſi tamen latro crudelitatem inſuper quandam exercuerit; ut cum mulieres gravidæ ab illis diſſecantur, quo ex fœtus nondum nati membris lychni confici & in furtis adhiberi queant; eo caſu æquum eſt pœnam quodammodo augere, & hinc Ddres conſuetæ pœnæ addere ſolent, ut reus trahæ impoſitus ad ſupplicium ducatur. (p) Nec quenquam movere debet, quod Æquitas utplurimum pœnam mitiorem imponat: hoc enim non obſtat quominus aliquando etiam graviorem dictare queat. Principium namque Æquitatis eſt accidens quoddam, immutans cauſam alicuius iuſti vel iniuſti in ſubiecto, cui illa cauſa inhæret. (q) Undè ſi accidens illud maiorem ſubiecti malitiam arguit, quin tunc Æquitas ad ſeveriorem quoque pœnam procedere debeat, dubium profecto nullum eſt. Et hôc modô longe diſtat â Gratia, ut quæ non niſi de leniori vel nulla animadverſione intelligi poteſt: ſi enim & de ſeveriori, quam eſt ordinaria, caperetur, Gratia nomen ſuum amitteret. Plures differentias vide ſis *Membr. 2. artic. 32.* Uti vero Æquitàs ipſa Gratiæ cognata eſt, ita & Jus ex AEquitate mitigandi pœnam cognatum eſt Juri remittendi eam ex Gratia. Iiſdem tamen

Cc 2 qui-

(n) *Dn. Claſen. cit. loc. pag. ult.*

(o) *Ord. Crimin. Carol. V. art. 130. verb.* der ſolchem fürgeſetzten Mörder gleich mit dem Rade zu Tode geſtrafft werden. *& art. 137. §. 1. in verb.* und alſo daß der gewohnheit nach ein fürſetzlicher muthwilliger Mörder mit dem Rade geſtrafft werden ſolte. *vid. Dn. Carpz. part. 1. qu. 22. n. 8.* (p) *Dn. Felde Elem. Iur. Part. 2 libr. 2. cap. 4. membr. 9. part. 1. art. 2. n. 2.* (q) *Idem Dn. Felde part. 1. cap. 9. n. 5. quem vide.*

quibus illæ modis, hæc etiam Jura ab invicem differunt. Jus enim aggratiandi non niſi ſupremæ poteſtati, aut cui ea ſpecialiter conceſſit, competit: at Jus ex Æquitate leniendi pœnam inferior etiam Magiſtratus exercere poteſt & debet. Hoc involvit legis interpretationem; illud ejuſdem inducit derogationem: hoc pœnam ordinariam ferè tantùm mitigat; illud quandoque totam remittit: ad hujus exercitium cauſa prægnans requiritur; ad illius ratio probabilis ſufficit, in quibuſdam civilibus etiam nulla: ex hôc aliquando pœna gravior, quàm lex definit, irrogatur; ex illô non niſi mitior vel nulla imponi poteſt. Vide *praeced. artic. 96.* Faciunt hùc quæ *Franciſcus Suarez* (r) circa hanc rem non inſcite diſſerit: *Utrumq́, ait, verum eſt, ſcilicet & inferiores Iudices poſſe iuſtis ex cauſis temperare pœnas, & Principem non poſſe mero arbitrio & ſine ulla prorſus cauſa indulgere peccantibus: nam ſine dubio eſſet magnum Reipublicæ nocumentum. Nihilominus tamen aliquod intervenit diſcrimen: nam facilius hoc facere poteſt Princeps, quàm Iudex; nam inferior id poteſt vel in caſibus iure expreſſis, vel conſuetudine receptis, aut certè per modum ἐπιεικείας, quando non eſt facilis recurſus ad ſuperiorem. At verò Princeps habet ſupremam poteſtatem, & ad interpretandam legem, & ad diſpenſandum, quotieſcunq́ prudenter iudicaverit cauſam eſſe ſufficientem & rationabilem. Unde inferior Iudex vix poteſt aliquam minuere pœnam, niſi quando etiam tenetur: quia nimirum lex vel conſuetudo diſponit, ut in eo caſu minuatur, aut ratio æquitatis neceſſariò id poſtulat. Princeps autem ſæpè poteſt diſpenſare, etiamſi non teneatur. Item aliquando poteſt iuſte id facere in gratiam ſubditorum, ut ſe illis oſtendat benignum & liberalem, ut eos benevolos & obſequentes habeat.* Hæc iſte.

(r) *de LL. l. 5. cap. 11. n. 9. & 10.*

CVII. Eſt quoque affinis Gratiæ huic *Abolitio*, quæ eſt exemtio reorum à crimine (s); & diſpeſcitur in *Genera-*

(s) *Dn. Struv. Syntagm. I. C. Exerc. 49. th. 89.*

lem, *Specialem*, & *Legalem* (t). *Generalis* eſt quæ publicè & ipſo jure competit, conceditur que vel ad tempus, ut propter ferias (u); ne ſcil. quiſquam tempore ſacro in ſordibus ſit & luctu; & tum intra 30 dies utiles accuſatio poteſt repeti (x): vel in perpetuum; cum rei ob publicam lætitiam, putà rem benè geſtam, vel publicam gratulationem liberantur (y); id quod fecit Conſtantinus ob natos ſibi liberos Criſpum & Helenam (z). *Specialis* eſt, quæ conceditur à Judice accuſatori causâ cognitâ, cum accuſator confitetur, ſe per errorem vel temeritatem aut calorem ad accuſandum proſiliiſſe, fortè ut ſuam ſuorumque injuriam defenderet: talia enim accuſator explanans abolitioni locum faciet. (a) Quod ſi autem teſtibus jam ſint tormenta illata, vel agatur de violatâ Majeſtate, patriâ oppugnatâ vel proditâ, peculatu admiſſo, ſacramento deſerto; atque adeò de omnibus criminibus, in quibus Judex non minus accuſatorem ad docenda ea quæ detulit, quàm reum ad purganda ea quæ negat, debet urgere, abolitio non concedi poteſt (b). Idem judicium ferendum eſt, ſi quis ad accuſandum vel ad deſiſtendum ab accuſatione pecunia corruptus, aut manifeſtè calumniatus ſit, nempe ut tunc etiam abolitio non conceditur. (c) *Legalis* abolitio eſt, quæ ex lege deſcendit, utpote quando mortuus eſt reus vel accuſator, vel ex juſtâ cauſa, veluti morbo, impeditur, quò minus accuſare poſſit. (d) *Hodie* ejuſmodi abolitiones non ſunt in uſu; ſed in locum quaſi earum ſucceſſit ſimilisque eſt noſtra hæc Principum Gratia, ſive Aggratiatio, ut DDres loqui amant. (e)

CLIX. Tandem CONTRARIA Gratiæ huic eſt Crudelitas: quæ *Seneca* (f) deſcribente, *nihil aliud eſt, quàm*

(t) *l. 8. & 10. D. ad SC. Turpill. VVeſenbec. ad eund. tit. num. ult. Gail. de P. P. cap. 9. n. ult.* (u) *l. 3. C. de Epiſcop. audient.* (x) *d. l. 10. §. 2. D. d. tit.* (y) *d. l. 8. & 9. D. d. tit.* (z) *l. 1. Cod. Theod. de indulgent. Gothofr. ad. d. l. 8. ſub lit. H.* (a) *l. 2. C. de abolition.* (b) *l. 3. C. d. tit.* (c) *dd. ll. 2. & 3.* (d) *d. l. 10. pr. l. 15. §. 3. D. ad SC. Turpill. VVeſenb. & Gail. cit. locc.* (e) *Dn. Struv. cit. Exerc. 49. th. 90.* (f) *lib. 2. de clem. cap. 4.*

quàm atrocitas animi in exigendis pœnis: vel generalius: *in-*
(g) *libr.* *clinatio animi ad aſperiora.* Idem verò dicit (g), *hanc mini-*
1. cap. 24 *mè humanum malum eſſe: indignum tam miti animo. Feri-*
nam iſtam rabiem eſſe, ſanguine gaudere ac vulneribus: & ab-
(h) *cap.* *jecto homine in ſylveſtre animal tranſire.* Mox (h) verò ita
25. de eadem loquitur: *Hoc eſt, quare vel maximè abominanda
ſit ſævitia, quod excedit fines, primum ſolitos, deindè huma-
nos. Nova ſupplicia conquirit, ingenium advocat, inſtru-
menta excogitat, per quæ varietur atq; extendatur dolor: &
delectatur malis hominum. Tunc ille dirus animi morbus ad
inſaniam pervenit ultimam, cum crudelitas verſa eſt in volu-
ptatem: & iam occidere hominem iuvat: Nam talem virum à
tergo ſequitur everſio, odia, venena, gladÿ: tam multis peri-
culis petitur, quam multorum ipſe periculum eſt: privatisq;
nonnunquam conſiliis, aliàs verò conſternatione publica cir-
cumvenitur.* Ob crudelitatem ejuſmodi clarus factus eſt
Phalaris, quippe qui exquiſitiſſimis non contentus ſuppli-
ciis, æneo uſus eſt tauro, quô miſeri mortales incluſi mu-
gitus edere viderentur, cum medio cruciatu ingemiſcerent:
(i) *libr.* in quô illud minus crudeliter fecit, cenſente *Sabellico* (i),
8. quod tam monſtroſæ machinæ artificem omnium primum
invento affecit ſupplicio. Tulit & recentior ætas ſævitiæ
exemplum non parum memorabile. Vitoldus enim Litua-
niæ Dux, homo truci ſævoque ingenio, ſi quem morti de-
ſtinaſſet, urſinis involutum pellibus, canibus laniandum
objiciebat. Nunquam bellicis expeditionibus non inten-
tum habuit arcum, ut ordine aberrantem ſagitta transfige-
ret. Hanc in Principe immanitatem adeo expavit gens ali-
oqui ferox & mortis contemtrix, ut multi eius imperium
ſecuti, ultro ſine carnifice veneno vel laqueo vitam finive-
(k) *Sa-* rint. (k) Non abſimilis iſti fuit Otho Antonius Montisfer-
bellic. ib. retri Comes atque Urbinatium Princeps, qui puerum, quem
in

in cubiculi miniſterio habebat, reſinato linteo atque ſulphure perfuſo involutum, vivum in candelæ morem combuſſit, quod horâ quam ei præfixerat, ipſum non excitasſet. (l) Plura talia in hiſtoriis paſſim obſervari & legi posſunt.

(l) *Baptiſta Fulgoſ. libr. 9.*

CIX. Pugnant quoque cum Gratiâ noſtrâ, qui eam illicitam aſſerere non dubitant. Quorum tamen argumenta pleraque talia ſunt, ut nil aliud probent, niſi quod Judici inferiori non liceat delicti Gratiam facere. Id verò contra nos minimè eſt, ut qui hoc in ſuperioribus ipſi multoties aſſeruimus & probavimus. Præter ejuſmodi talia tamen, quæ leges & argumenta ſpeciem adhùc quandam repugnantiæ habere videntur, ea brevi reſponſione hîc ſubjungere placet. Sunt autem ferè ſequentia.

Opponunt (1) *L. 18. §. 1. D. de Iudic.* ubi dicitur, maleficia non debere eſſe impunita. Sed quid indè ad nos? Qui textum illum inſpexerit, facilè deprehenderit, eum loqui de caſu quô filiusfamilias furtum vel damnum injuriâ passus ſit: quæ delicta cum eo caſu ex magno dolo commiſſa ponantur, non debere inulta prætermitti, & nos aſſerimus. Indè tamen velle concludere, quod nec aliàs liceat ex Gratia pœnam tollere vel mitigare, quamvis id ſuadentibus circumſtantiis, abſonum & abſurdum eſſet. Eadem reſponſio applicari poterit ad *L. 51. §. 2. verb. cum nec impunita maleficia eſſe oporteat. D. ad Leg. Aquil. & c. ut fama. X. de ſentent. excommunic.*

Opp. (2) *L. 14. C. de pœn.* quæ dicit, quod *non remitti pœnam facilè, publicè interſit, ne ad maleficia temerè quisquam proſiliat.* Verum & hoc ambabus largimur manibus, nec quicquam hic textus nobis officit; ut qui ſæpè etiam Principum facilitatem improbavimus, quâ non raro ſine ulla juſta cauſa facinoroſis ſolent ignoſcere. Itaque nec

nos

nos facile, h. e. ſine probabili ratione, poenam remitti vo- lumus.

Opp. (3) *L. 6. C. de Cohortal.* ubi Impp. ajunt: *veniam talibus non permittimus, nec indulgentiis crimina ſublevamus.* Sed Reſp. caſus ille ſpecialis eſt de cohortali criminis reo & fugiente, in quem etiam abſentem & latitantem, niſi citatus comparuerit eo die, quô debebat, ſententia proferetur. Deinde nec dicunt Imperatores, ſe ſimpliciter poſſe vel non poſſe Gratiam concedere; verùm ejuſmodi fugitivorum ſaltim crimina ſe non ſublevare aſſerunt: quod vox *talibus* ſufficienter indicat.

Opp. (4) *L. 7. C. de precib. Imper. offerend.* & concludunt ex illâ, reſcripta contra jus elicita non poſſe ſubſiſtere: ergò neque remiſſiones poenarum valere. Sed certè confutantur ipſum per eundē textum: expreſsè enim Impp. hoc limitant duobus modis: primò, *niſi fortè ſit aliquid, quod non lædat alium, & proſit petenti:* ſecundò, *vel crimen ſupplicantibus indulgeat.*

Opp. (5) ex *L. 131. §. 1. de V. S. pœnam non irrogari, niſi qua quaq; lege, vel quo alio iure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt.* Verum illi advertant, JCtum ibi tradere differentias Multæ & Poenæ, inter quas & hæc eſt, quod Multa veniat ex arbitrio ejus qui Multam dicit, qualis etiam Judex inferior eſſe poteſt: Poena autem proficiſcatur ê lege vel alio jure, quod huic delicto hanc impoſuit. At quomodo per hæc jus Gratiæ faciendæ in Principibus oppugnetur ego non intelligo.

Opp. (6) & dicunt, ne quis de inferioribus tantùm poteſtatibus dicta accipiat, diſerte Imperatores ipſos legibus ſubmittere Principatum, & Majeſtati conveniens eſſe, ut eas ſervet, profiteri in *L. 4. C. de Legib. L. 3. C. de Teſtament*, & *L. 23. D. de Legat. 3.* Illis reſpondeo, poſſe quidem

...Principes quouſque velint legibus ſe ſubmittere, easque ſervare; falſum tamen eſſe quod abſolutè imperantes conſtitutionibus civitatis obligentur (m) nec quicquam contra eas agere poſſint, & ſic, ratione licet moti, per Gratiam illis derogare. Imò cum Princeps Gratiâ laudabiliter utitur, dicendum eſt eam non adverſari legibus, quia ratio legis in hoc ſubiecto hiſque manentibus circumſtantiis ceſſat, ut alibi oſtenditur.

Opp. (7). per remiſſionem pœnæ deſtrui nervum diſciplinæ & viam exceſſus aliis aperiri (n) quique iam ſunt nequam homines propter ſpem veniæ reddi nequiores. (o) Reſp. neg. Cum enim Gratia iſthæc planè ſit extraordinaria, & ob cauſæ ad eam inducentis raritatem, rarò exerceri queat & debeat, vix erit ut in aliquo ſpem impunitatis excitet. Neque enim hic ignavam quandam miſericordiam intelligimus, per quam Principes quidam rarò in delinquentes animadvertunt, frequenter autem impunitos eos dimittunt. Talis certè culpanda clementia; ut alios ad peccandum ſubindè invitat, ita ab hac noſtra Gratia longè diſſidet. Deindè verò ſi quis ſpe veniæ aliquid patraret, dolo id committeret: doloſa autem delicta nullam mereri miſericordiam ipſi aſſerimus: & proindè talis in Gratiam peccans duplici pœna meritò afficeretur.

Opp. (8) iſtum cornutum Syllogiſmum: Aut reus accuſatus deliquit, aut non deliquit. Si non deliquit, abſolvendus eſt. Si verò deliquit, ordinariâ pœna plectendus eſt. Reſp. falſum eſſe, omnem qui deliquit, ordinaria illius delicti pœna eſſe puniendum. Poteſt enim delictum aliquod per circumſtantias ita qualificari, ut tale & tantum non ſit, quale & quantum in lege pœnam ordinariam dictante intelligitur: & ſic neque pœna iſta ad id quadrabit, ſed mitior omninò imponenda erit. Imò & aliquando qui deliquit, planè non eſt puniendus, ſcil. ſi Reipublicæ utilitas hoc ſuadeat, & per impunitatem eius ſalus publica promo-

(m) Vid laudat. Hobbes. cap. 6. art. 14. & Dn. Struv. Syntag. I. C. Exerc. 2. th. 8.
(n) c. licet. §. proinde. 35. qu. 9. c. pervenit. diſtinct. 93. c. ut clericorum. X. de vit. & honeſt. cleric. gl. ad c. fruſtra. diſtinct. 9.
(o) c. ut fama. X de ſent. excomm.

veatur, per ſupplicium verò impediatur. Res enim hæc ta pendet ab extraordinariis iuſti principiis, ut adeo cau- tali ſuperveniente juſtum ordinarium omnino quieſcere debeat. Imo ſi verum dicere licet, iniquum eſt de illius poteſtate diſputare, in cujus poteſtatem noſtras omnium poteſtatse reſignavimus: ſed neque de juſtitia factorum illius dubitare fas eſt, qui plerisque factis per determinationem ſuam juſtitiam indere poteſt.

Habes, benivole Lector, quæ â nobis hâc vice dici potuerunt, aut debuerunt. Si quæ minus rectè nec ad palatum ſcripta repereris, da, quæſo, aliquid tenuitati ingenii noſtræ, cui ad meliora facultas fere, non voluntas, defuit. Quamvis & ſperem, nihil huc â nobis allatum, quod probatorum auctorum volumina in patrocinium advocare nequeat. Sicubi tamen diſceſſum, ob bonas, crede, rationes factum fuit. Et quidni in talibus libertate quadam gaudeamus, cum ad veritatem illa nos perducere poſſit, in profundo ſæpè adhuc latentem puteo? Quare ceu ex animi libidine tibi per nos agere licet; ita & noſtro nos jure uti, ſi modeſtus es, haud gravatè feres. Gratiam redde, qui hanc noſtram tanto candore fidei tuæ commiſſam recepiſti: aut ſaltim lege Talionis nos ſubleva. Sin â perverſitate tua nihil impetrare poterimus, juxta innocentiam noſtram etiam illud ſolatio erit: οὐδὲ ζεὺς πᾶσιν ἀρέσκει.

TANTUM.

Nobiliſſimo atq; omni elegantiori doctrina politiſſimo

Dno. à PASSEL, Fautori ac amico ſuo colendo.

ERgo ullam veniam concedere curia poſſit
Delictis? ut ſi plectendas debita noxas
Ultio non maneat, non jam veſtigia facti
Poſt alios alii relegant atque agmine toto
Evertant tandem ſublatis legibus urbem?
At fuerat ſatius frondoſa cubilia ſylvis

Igno=

[R]emotasque habitare caſas & inhoſpita tecta,
[A]ut maris exeſa timidum caput abdere rupe;
Quam ſtruere, & poſito muros cuſtode tueri,
Quosque foris metuis, ſentire in mœnibus hoſtes.
Et tamen eſt ubi jure licet dimittere ſontes,
Seu furto infames veniant, ſeu ſanguine ſperſi,
Seu turpet miſeros animis illapſa libido:
Eſt ubi delicti fieri bene gratia poſſit.
Ipſa tuum ſibi quæ, PASSELI, pagina nomen
Præſcripſit, mihi teſtis erit, non doctius alter
Eunomiæ tantam celſo de ponte cathedræ
Rem doceat. Quid enim? nutricis ad ubera Suadæ
Eductus, magno ſinuoſa volumina juris
Pervolvis ſtudio: tibi priſca reperta ſophorum
Curæ: tu mentem per publica commoda verſans,
Per regna & populos; quid deſtruat, augeat urbes;
Quod ſit pacis opus, quæ juraque pactaque belli
Exploras, ſervasque tuæ ſua nomina Genti.
Atque equidem veniet tempus, cum præmia tantæ
Virtuti ſors ipſa dabit, pretiumque labori
Solvet, ut optatos poſſis contingere portus.
Ipſa tuæ applaudit naſcenti Iulia laudi,
Vixque alio tantum ſeſe nunc jactat alumno.
Perge modo, & quo te ducit via, dirige greſſum
Nec votis ſpes illudet, nec ſidera cœptis:
Hoc reor, & veri ſi quid mens augurat, opto.

JOACHIMUS Zimmermann
Lunenburgenſis.

Ein Geiſt vom Himmel her wil nicht ſtets unten liegen/
Wo die gebückte Schaar der matten Seelen kreucht:
Er läſſt den Erden-Staub/und ſuch't hinauf zu fliegē
Wo des Orions glantz in vollem Scheine leucht't/
Umb durch der Tugend Stral ein Licht von ſich zu geben
Daß in die Nach-Welt auch erſtrecke ſeinen Schein/

Und

Und jedem zeige dar/ daß die verewig't leben
Die dem/ was Himmliſch iſt/ durchauß ergeben ſeyn.
Daß nun/ mein Ander Ich/ dem ich verbunden bleibe
Biß in das Todten-Grab/ dein rühmens werther Geiſt
Auch ſeinen Urſprung zu dem hohen Himmel ſchreibe/
Hat ſatſam albereit dein gantzes thun erweiſ't.
Das Blendwerck/ dieſes Nichts, die flüchtig' Eitelkeiten/
Durch derer falſche Pracht itzt manche Seele fäll't/
Vermochten niemals dich zu zih'n auff ihre Seiten/
Weil warer Tugend Trieb dich gantz entzog der Welt
Und dir ſtat ſchnöder Luſt/ das Götter-gleiche weſen/
Der klugen Künſte krafft zum Zwecke ſetz'te für:
Man ſahe dich noch jung gelehrte Bücher leſen
Durch welches in dir wuchs die feurige Begier
Zu guter Wiſſenſchafft/ ſo/ daß noch heute preiſet
Dich unſ're JULIA., und bietet Zeugnis dar
Im falle ſolches nicht ſchon zur genüg' erweiſet
Selbſt dein gelehrter Kiel/ als er bemühet war
Die hier zugeg'ne Schrifft ans tage licht zu bringen.
In dieſer ſiehet man/ das witziger Verſtand
Die Feder dir geſchärff't/ und daß für allen dingen
Die richtige Vernunfft geleitet deine Hand.
Wol/ wol gethan/ mein Freund! der Höchſte wird beglücken
Den angewandten Fleiß/ du wirſt den wahren Lohn/
Den uns ſothanes thun erwünſch't pfleg't zu zu ſchicken
Mit reichen überfluß erhalten einſt davon.
Gleich wie der Noord Stern ſich keinmahl nicht ſencket nieder
So wird dein Ehren-Ruff auch ſtetigſt oben ſeyn:
Denn wer die Tugend ehr't den ehr't die Tugend wieder/
Und ſchreib't ihn in das Buch der Ewigkeiten ein

Dieſe unförmliche Reimzeidelen ſetzet zu Ehren
dem Herren Uhrheber dieſes auß Freund
verbündenſter ſchuldigkeit hinzu

George Sigemund von Schweinichen Eq. Sil.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE